C. R. G. WIEDEMANNI

MED. DOCTORIS, IN ACAD. KILIENSI

PROF. MED. P. O.

DIPTERA EXOTICA.

PARS I.

TABULIS AENEIS DUABUS.

Kiliae 1821.

Prooemium.

Quo maior est rerum ad historiam naturalem spectantium nostra aetate inventarum repertarumque copia, ut imperitorum ineptorumque admirationem movere minimi iam sit res momenti, eo magis operae pretium fuerit hodie, priora et iam dudum nota denuo accuratius investigare, et ea potissimum, quae a summis auctoribus aut peccata, aut neglecta, aut omissa sint, emendare vel explere; non eo quidem consilio, ut notandis aliorum erroribus maioris doctrinae laudes nobis ambitiose quaeramus, sed quia ita homines nati sunt ut temere in clarorum virorum placitis acquiescant, nec quandoque illos et dormitasse persuadere sibi possint. Plerique enim in magistri verba iurare quam propriis studiis sudare satius ducunt. Ita priorum temporum errores literarum incrementis infestissimi per continua saecula propagantur; nec nova pleraque, nisi antiquis bene constitutis, cum certitudine aliqua diiudicari possunt. Etiam ex descriptione manca laxaque noxiae oriuntur repetitiones, ut quod quis primus invenisse putet, olim iam inventum quidem sed confusione obrutum, doctos latuerit, ut systema ipsum synonymiaque in chaos inextricabile abeat, ut denique in his literis non progrediamur sed retro cedamus.

Sed errores huiusmodi, obiter et oblata tantum occasione detecti et reprehensi, aut multos fugiunt, aut facile exolescunt, aut a plerisque ne observari quidem possunt. Unum enim regnum naturae universum critica adhibita arte et acri cum censura pervestigare unius hominis non est, et qui suis tantum viribus confisus tale opus adgrederetur, rem imperfectissimam efficeret. Ex aliorum vero scriptis modo compilare, nullo proprio adhibito iudicio, res foret deterrima vid. Editio Syst. Nat. Gmelin. Itaque hoc maxime exoptandum esse videtur, ut carptim immensae rei partes aliquae accurate pertractentur, quae et ipsae quominus spernantur per se iam sufficiant, et aliquando ut membra solida beneque firmata toti corpori conficiendo adiungantur. Proba et congruens unius tantum animantis descriptio infinitae utilitatis est. Quodsi seriores naturae indagatores tanta semper cum reverentia, quanta prioribus optime meritis probatissimisque viris doctis debetur, eorum, quae isti aut inventa aut descripta exhibuerunt, curam habuissent, tantum opera, totque molestiis, quibus fatigamur, supersederemus. Si enim repugnantia et diversa inter se virorum doctorum placita post praeterlapsa iam aliquot decennia eduntur, difficillimum fit imo inextricabile veri iudicium, nec minus, qui in loco aliquo et minimo quidem dubius haeret, caveat, ne dissimulata sua dubitatione alios ita seducat, ut certum et convictum eum credant. Qui vero alios rem aliquam vult

docere, et ipse rem probe exploratam habeat. Nonne dolendum est, si quis, ut doctus perhibeatur, laudatorum ex aliis scriptoribus locorum copia immensa in labyrinthi quasi errores legentes deducit? Ut quisque de rerum naturalium cognitione optime meritus est, ut maxima cuique est apud ceteros fides, ita et gravissime in posteritatem peccat, cum errores eius in laudandis aliorum scriptis commissi ab alio et alio scriptore iterentur, et in immensum confusio augeatur. Tempus igitur est, ut quam primum rem in discrimine ponamus.

Quis est qui Fabricium nostrum immortalem, recentioris entomologiae auctorem, haud raro falsorum et inutilium citationum vitio obnoxium fuisse credat! Linnéo usus est magistro; Linnéi operum pars entomologica editionum ab ipso auctore factarum novissima, anno 1767 prodiisse constat; Fabricii systema entomologicum anno 1775 prodiit; nihilominus quot iam citationes falsae aut parum certae dilucidaeque ex ipso Linnéo! Scilicet, qui partem amplissimam omnium doctrinae rerum naturalium quasi primus procreat ei sane venia aliqua est accommodanda! Minime, ex sententia nostra; is eo magis est reprehendendus, quo minus eum levioribus facileque evitandis erroribus obnoxium esse decebat, et quo certius augurari poterat, fore, ut suae et posteriores aetatis homines arbitrio suo confiderent et in verbis suis acquiescerent. Et hoc probrum est, si iidem errores eaedemque lacunae

in ipso opere saepius repetuntur, quod crebérrime occurrit in *Entomologia emendata* et in *systemate* singulorum ordinum, quod novissime ante obitum opus auctor edidit. Magni profecto vel maximi facimus herois huius in entomologia merita; tamen errores eius tandem aliquando sunt aperiendi ostendique et vir ille humanissimus si viveret hanc nostram curam gratam acceptamque haberet.

Praeter errores ea quoque, quae ab auctore omissa neglectaque sunt a nobis sunt reprehendenda, et ea prae ceteris, quarum culpam neutiquam doctrinae ipsius incunabula sustinent, descriptiones, inquam, vagae et parum sufficientes. Queruntur enim omnes, pleraque insectorum ex Fabricii scriptis cum aliqua certitudine cognosci plane non posse. Verum nihil iuvat brevitas, spatium quidem lucrans, sed tempus terens nec ad finem perducens. Passim quidem notae specificae ab auctore enunciatae et descriptiones eius ideo iam non sufficiunt, quod inter duas cognatas species plures novae detectae sunt, ut notae specificae argutiores accuratiusque circumscriptae quaerendae sint. — Sed lectorem non diutius morabimur in universum virum illum laudatissimum reprehendentes, sed singulatim monita nostra, ne pro vanis accipiantur, idoneis exemplis firmare in animo est.

In edendis singulis ordinibus certe nihil prius et antiquius Fabricius habebat, quam ut omnia

quantum posset denuo perlustraret et severissima abhibita κρίσει percenseret; quae sui temporis viri docti in rerum naturalium studio aut profecerant, constituerantque, rata habere examinare et probata recipere debebat.

Certe aliorum curas non adversabatur vir optimus, cum et ipse plura nova genera constituerit et ab aliis constituta systemati suo accensuerit, sed temere haud raro nec ea qua par fuit accurata adhibita censura. Saepe in prioribus suis scriptis enumeratas species una cum novis speciebus in nova genera arroganter satis descripsit. Paucas quidem rarissimasque species, in Britannicis modo museis exstantes, denuo recensere Fabricio non contigit; sed ceteras, quae in museis Parisiensibus Havnicisque et in suo proprio asservantur, satis ab eo pervestigari poterant, cum ipse in vita sua, quam enarrat (vid. Kieler Blätter 1819. 1. 88.), nobis dicat, se inde ab anno 1798 usque ad annum 1804 verno tempore Havniam, aestivo Parisios quotannis ad inspiciendos rerum naturalium adparatus migrasse; ut optimo iure specierum accuratiorem saltem cognitionem ac dispositionem in veris suis generibus ab eo exigere possemus; nam de corrigendo et emendando charactere specifico, seu phrasi specifica, ne cogitari quidem licet. Sed videte quaeso tabulam hanc Systematis Antliatorum anni 1805 species exhibentem, quae a Fabricio perperam iis generibus, quibus aggregatae sunt, adnumerantur.

Ctenophora quadri-maculata F. ad Tipularum genus referenda est. Quod genera *Limnobia* et *Erioptera* Meig. non recepit cum Fabricio hic disceptare nolumus etsi Limnobia in oris partibus a Tipula valde discrepat; quod vero unum ex *Ceratopogonibus* ex *Culicibus* non eiecit (*Culex Morio*), et tum in viro doctissimo vituperandum erit, cum (quod tamen non licet) ei ignoscere vellemus, quod tam insigne genus *Ceratopogonum* repudiaverit, ad quod *Chironomi* eius, *femoratus* et *communis* adnumerandi sunt.

Chironomus pallipes sub *Sciara* reponendus est.

Chironomus sericeus sub *Simulia* Ltr. toto coelo a Chironomis diversa.

Chironomus pennicornis sub *Cecidomyia* Meig.

Chironomus dubius F. sub ordinem Hemipterorum (Gen. Dorthesia Latr.)

Hirtea forcipata F. sub *Sciara* F.

Sciara lineata F. sub *Ceroplatus* F.

Bibio aena F. sub *Callicera* Meig.

Bibio marginata F. sub *Atherix* F.

Bibio florea F. sub *Trineura* F.

Leptis Ardea F. sub *Bibio* F.

Leptis Ibis F. sub *Atherix* F.

Nemotelus pusillus F. sub *Stratiomys* F.

Haematopota curvipes et *lunata* F. sub *Tabanus* F.

Anthrax holosericea F. sub *Cytherea* F.

Anthrax Titanus F. sub *Atherix.* F.

Bombylius griseus F. sub *Ploas* F.

Empis clavipes F. sub *Hybos* F.

Empis minuta F. sub *Trineura* F.

Tachydromia fuscipes et *plumbea* F. sub *Empis* F.

Dioctria sabauda et *oculata* F. sub *Dasypogon* F.

Dioctria morio, *stigmatizans* et *crassipes* F. sub *Laphria* F.

Dioctria muscaria F. sub *Hybos* F.

Asilus ruficornis F. sub *Dasypogon* F.

Laphria calida F. sub *Asilus* F.

Laphria reticulata, *ruficanda*, *cincta* F. sub *Dasypogon* F.

Laphria thoracica F. sub *Hirtea* F. (rectius sub *Penthetria* Meig.)

Dasypogon aestuans, *nigritarsis*, *suillus*, *tibialis*, *germanicus*, *rufipes*, *maculatus*, *brunnipes*, *atripes*, *bifidus*, *stylatus*, *annulatus*, *caudatus*, *nigripes*, *annularis*, *cingulatus*, *striola* sub *Asilus* F.

Dasypogon tridentatus F. sub *Laphria* F.

Dasypogon culiciformis F. sub *Hybos* F.

Milesia scutellaris et conica F. sub *Eristalis* F.

Milesia ambulans et means F. sub *Scaeva* Hgg.

Milesia natans et *eques* F. sub *Merodon* F.

Merodon crassipes F. sub *Eristalis* F.

Merodon femoratus F. sub *Milesia* F.

Scatophaga cinerea F. sub *Dolichopus* F.

Scatophaga rufipes F. sub *Sepedon* Latr.

Scatophaga cornuta F. sub *Tephritis* F.

Oscinis Argus F. sub *Scatophaga* F.

Thereva dubia F. sub *Milesia* F.

Syrphus bombyliformis F. sub *Eristalis* F.

Eristalis cinereus, *flavicans*, *ferrugineus*, *funestus*, *melancholicus* F. sub *Merodon* F.

Eristalis lucorum, *laetus*, *aegrotus*, *auratus*, *nigrita*, *flavicornis* F. sub *Scaeva*.

Eristalis ruficornis et *semirufus* F. sub *Milesia*.

Eristalis rufipes et *subsultans* F. nequidem ad familiam Syrphiarum pertinent.

Scaeva staminea F. sub *Sargus* F.

Sargus aeneus, *scutellatus*, *geniculatus* F. a Sargis alieni.

Calobata cylindrica F. sub Genus *Sepsis* Fallénii.

Calobata arrogans F. sub *Tachydromia* F.

Calobata subsultans F. sub *Sphaerocera* Latr.

Nerius longipes F. sub *Calobata* F.

Dolichopus glabratus F. sub *Lauxania* Fallén.

Dacorum F. plurimi sub *Tephritis*.

Dacus clavatus F. sub *Musca* F.

Dacus obtusus F. sub *Dictyia* F.

Stomoxys asiliformis F. sub *Hybos* F.

Stomoxys dorsalis F. sub *Myopa* F.

Musca helluo F. sub *Thereva* F.

Musca elata et *gibba* F. sub *Scatophaga* F.

Musca lupulina F. sub *Lauxania* Fallén.

Musca frigida F. sub *Sphaerocera* Latr.

Musca unicolor F. sub *Tephritis*.

Tephritis hieracii F. sub *Scatophaga* F.

Tephritis aterrima F. sub *Trineura* F.

Tephritis combinata, *flava*, *quadripunctata*, *rosae*, *putris*, *demandata*, *punctum*, *cynipsea*,

grossificationis, *macula*, *atrata* nullo modo huic generi adnumerandae sunt.

Dictya discoidea, *cancellaria*, *ocellata* F. sub *Tephritis* F.

Dictya dorsalis, *geminata* et *corollae* sub Scatophaga F.

Dictya femorata et *clavipes* F. quam maxime a Dictyis diversae, genus proprium *Ropalomera* Hgg. constituunt.

Complures species in Systemate Antliatorum bis, imo ter occurrunt vel in diversissimis generibus, vel in uno eodemque genere. Nihil differunt *Chironomus littoralis* et *cantans*; nihil

Hirtea praecox et pyri.

Hirtea collaris et Laphria thoracica.

Bibio plebeia et strigata ♀ ♂.

Bibio anilis et annulata ♂ ♀.

Leptis Ibis et Anthrax Titanus.

Atherix atrata et aurata ♂ ♀.

Empis clavipes Hybos funebris et Dasypogon culiciformis.

Tachydromia cimicoides et Calobata arrogans.

Tachydromia fuscipes et plumbea.

Dioctria muscaria et Stomoxys asiliformis.

Laphria spinipes et affinis.

Mulio mutabilis, devius ♂. et apiarius ♀.

Milesia dentipes et lineata ♂ ♀.

Baccha sphegea et Scatophaga rufipes.

Oscinis Argus et Tephritis Hieracii.

Scaeva scripta et menthastri ♂ ♀.

Sargus politus et cyaneus ♂ ♀.

Dacus clavatus et Musca funebris.
Dacus aculeatus et costalis.
Dacus hastatus et dauci.
Dacus marmoreus et Tephritis flavescens.
Dacus arcuatus et Tephritis arnicae ♀ ♂.
Dacus obtusus et Musca stigma.
Stomoxys cristata et minuta.
Musca vulpina et maculata ♂ ♀.
Musca umbraculata et domestica auctor.
Musca ludifica et domestica F. ♂ ♀.
Musca roralis et Tephritis grossificationis ♂ ♀.
Tachina tessellata et fera.
Tephritis mali et morio.
Tephritis lychnidis et Dictya discoidea ♂ ♀.

Incuriam et errores Fabricii in laudandis aliis scriptoribus haec docebunt exempla manifestissima:

Tipula rivosa Syst. Antl. 22. 1.: *alis hyalinis: macula rivulisque niveis*, (cum in priori Entom. syst. IV. 233. 2. *alis hyalinis rivulis maculaque nivea* legatur) alterum verbum hac de specie non facit auctor; ubi enim Linnéum laudat, praeter phrasin specificam nullam amplius descriptionem addit. At in hac specie Linnéi phrasin specificam mutavit, nam Linnéus dicit: *alis hyalinis, rivulis fuscis maculaque nivea.* Quodsi quis ex museo Fabricii lumen sibi quaerit, auctoris ipsius propria manu nomine *rivosa* consignatum videbit speciem diversissimam, quae forte iam pridem sub falso nomine *rivosa* in collectionem illam inrepit, cui Linnéi phrasis specifica convenire

nequaquam posset; quam igitur Fabricius ita mutavit, ut iam nullae speciei apta sit. At si semel tantum Degeerii delineationem, quam ipse in *rivosa* sua laudat, recognovisset, errorem suum statim percepisset.

Musca domestica. Quamquam vix credibile multis videri possit, tamen in Fabricii Museo pro *musca domestica* conspicitur femina *muscae* suae *ludificae*, et huic quidem convenit Linnéi a Fabricio mutata phrasis specifica. Linnéus habet: *antennis plumatis*, *pilosa nigra*, *thorace lineis obsoletis*, *abdomine tessellato*, *minor.* Fabricius vero: *antennis plumatis*, *thorace lineato*, *abdomine tessellato subtus basi pallido*; nec ullum alibi de ea verbum. At vera *musca domestica* sub nomine: *musca corvina* in Fabricii museo occurrit.

Tephritis flava F.: *flava antennis apice puncto nigro*, et nihil praeterea, nisi tres citationes falsae; nam nec Linnéus, nec Degeerius quidquam commemorant de nigro in antennis puncto, quod certe eos non latuisset; sed oculos describunt viridos et abdomen ovatum, quae speciem aliam et minorem indicant in Holsatia frequentissimam, cum illa *flava* F. ad genus Fallenii *Sapromyzae* minime vero ad *Tephritides* pertinentem. Locus ex Geoffroyio laudatus ad *muscam cardui* Linnéi referendus est.

Tephritis parietina F. *alis fuscis albopunctatis maculatisque fronte testacea;* et nihil amplius praeter locum ex Linnéo laudatum, qui vero huc

non respicit; nam *Tephritis parietina* F. est *Musca leontodontis Degeer*, quam Fabricius interrogationis signo apposito, in *Daco umbellatarum* suo laudat. *Musca hyoscyami Lin.* vero, quae similiter in Daco umbellatarum cum dubitatione aliqua laudatur, plane diversa est species.

Syrphus mystaceus F.: *tomentosus niger, thorace abdominisque apice flavis*; nec plura. Laudatur Linnéi *Musca mystacea*. Sed Linnéus describit marem: *tomentosa nigra, thorace, abdominis apice alarumque basi fulvis*, et feminam: *thorace griseo, abdomine apice albo, alis macula ferruginea* et satis dilucide eam speciem designat, quam Fabricius in Entomologia systematica nomine *Syrphi* et in Systemate Antliatorum nomine *Eristalis apiarii* enunciat, quae vero nec Syrphus nec Eristalis, sed *Muscae meridianae* Lin. Fabr. generatim cognata est.

In multis etiam speciebus, in quibus nullum alium auctorem, quem consulere aliquis posset, laudare sive bene fecit sive male, descriptiones pariter non sufficiunt; haud raro ipsa phrasis specificae verba repetuntur, ut species aliqua ex illis nullo modo cognosci possit. Praesertim senex incuriosior in describendo fuisse videtur; et passim occurrentes errores manifestissimi forte ob oculorum defectum auctori sunt ignoscendi, nec alia de causa factum fuerit ut in *Eristalide rupium*, *Stomoxyde nebulosa*, *Musca punctata* et *maura* antennae setariae vocentur, cum certe plumatae sint. Et cum auctor in Philosophia sua

entomologica p. 147 dicat: *Descriptio continebit omnes insecti notas etiam minimas oculo armato tantum perspicuas*, auctorem quoque decebat ut in *Anthrace Aethiope* et *Oedipo* penicillos in apice antennarum, in *Dasypogone aurato* et *marginello* antennas apice plumatas, in *Tabano vituli* et *italico* ocellos, in *Tabano austriaco* alba puncta in lateribus abdominis, in *Dictya femorata*, *clavipede*. *geminata* antennas plumatas indicaret; quae vero omnia omissa sunt.

Fabricium quoque ea, quae iam in phrasi specifica dixerit, post et in descriptione repetivisse haec docent exempla: *Tipula longimana* Syst. Antl. 26. 11. *alis flavescentibus*, *pedibus anticis longioribus*, *apice albis*. Descr.: *Statura et magnitudo T. oleraceae. Corpus totum flavicans*, *immaculatum. Alae flavescentes. Pedes antici longiores*, *apice albi* et nihil amplius.

Culex cingulatus S. A. 36. 11. *testaceus*, *haustello tarsisque posticis albo annulatis.* Descr. *Statura et magnitudo omnino C. pipientis. Corpus totum testaceum haustello tarsisque posticis albo annulatis.* Nec plura.

Vide praeterea: Chironomus pubicornis S. A. p. 43. 23. Hirtea praecox 51. 3. Hermetia rufiventris 63. 2. Tabanus rufescens 100. 33. Chrysops ferrugatus 111. 2. Anthrax Simson 119. 5. Anthrax Pithecius 122. 14. Anth. Cephus 12(25. Anth. Faunus 126. 38. Tachydromia bicolor 143. 2. Laphria rufibarbis 157. 4. Dasypogon (*Laphria*) tridentatus 167. 14. Dacus marmoreus 276. 18.

Musca tessellata 285. 8. Musca luteola 286. 11. Musca lanio 287. 15. Musca helluo 295. 58. Musca quadrum 297. 67. Musca ruficeps 299. 77. In Musca gibba 297. 70. plane nulla est descriptio.

Colores quod attinet, Fabricius saepissime erravit. Colores quidem accurate semper indicare difficillima est res; sed Fabricii in eo laxitas et ambiguitas prope maior est, quam credere quisquam aut assequi possit. *Albus* plerumque de alis dicitur colore carentibus, ubi limpidus requiritur. Inter *ater* et *niger* nullum plane fit discrimen, cum *ater* significet summam nigritudinem. *Obscurus* et *pallidus* haud raro sine ulla coloris designatione leguntur e. g. *pedibus pallidis* v. Dolichopus platypterus S. A. 270. 20. *thorax pallidus* v. Chironomus tentans 38. 3. *Alae obscurae* v. Tipula maculata 30 29. et Stratiomys fascipennis 84. 26. *obscura* de thorace in Muscis carnivora 285. 5. et gibba 297. 70. *Rufus* pro *ferrugineus* (rostgelb) occurrit in Tabano cincto 97. 20. et pro *fulvus* in Anthrace erythrocephala 118. 4.; *fulvus* contra pro *orichalceus* in Ocyptera simillima 313. 3. et Thereva pilipes 220. 12; pro *rubiginosus* (roströthlich) in Tipula erythrocephala 31. 35.; et pro *croceus* in Tipula elegans 26. 10. *Canus* (haargreis) in Musca americana (Trypoderma americana *mihi* Cuterebra cauterium *Clark* Essay on the bots of horses London 1815. 4. p. 70. 3. tab. 2. fig. 28.) pro dilutissime *luteus* s. *silaceus* adhibetur; et quamvis in Philosophia sua entom. Fabricius dicat: *capilli cani*

qui infinite ludunt, nunquam tamen in capillis his color ille luteus conspicietur. Sed duo praeceteris sunt colores, quos Fabricius rarissime recte adhibet: *testaceus* et *cinereus*. Testaceum dicitur, quod est *ferrugineum* in Musca pallida F. Syst. Antl. 295. 53. *ochraceum* (ocherbraun) in Scatophaga scropharia F. 204. 4. *glandicolor* in Scatophaga scropharia F. 204. 3. *submelleum* in Musca pagana F. 288. 23. etc. *Cinereum* dicitur, quod est *canum* in Stomoxyde grisea 281. 10. Musca maculata 287. 14. Musca striata 288. 20 etc. *griseum* (gelblichgreis) in Stomoxyde cristata 281. 9. et minuta 282. 17. (ambo sub Siphona geniculata *Meig.* Musca geniculata *Degeer.* reponendae) et in Musca tigrina 297. 66. etc. Pro *chalybeus* Fabricius plerumque habet *cyaneus nitidus* ut in Musca bicolor 291. 36. Laphria labiata 160. 20.

Haud raro ob hanc in coloribus iudicandis ambiguitatem descriptio aliud quid enunciat quam phrasis specifica, cuius rei haec sunt exempla manifestissima: Hirtea fulvicollis phras. specif.: *alis fuscis*; descr. *alae obscurae nigrae*. Hermetia rufiventris phr. sp. *abdomine* rufo; descr. *abdomine toto ferrugineo*, sed quod rufum est non est ferrugineum, igitur dici debuisset *rubiginosus*. Anthrax Aygulus; phr. sp. *ano niveo*; descr. *ano pilis densis argenteis*. Anthrax Gorgon phr. sp. *disco (alarum) nigropunctato*; descr. *punctis disci fuscis*. Anthrax Maimon: phr. sp.: *alis fuscopunctatis*; descr. *punctis nigris*, hic

rem invertere auctori placuit. Bombylius posticus: phr. sp. *alis basi nigris;* descr. *basi fuscae.* Empis lineata: phr. sp.: *abdomine rufo* descr. *abd. testaceum.* Asilus capensis: phr. sp. *thorace obscure ferrugineo*; descr. *thorax dorso obscure cinereo.* Asilus hircus phr. sp. *femoribus rufis;* descr. *femoribus ferrugineis.* Laphria saffranea phr.sp. *abdomine ferrugineo*, descr. *abdomen fulvum*, sed revera trium horum colorum ne unus quidem aptus est, cum abdomen vere sit aurantiacum. Laphria haemorrhoa: phr. sp. *ano rufo;* descr. *ano sanguineo.* Myopa tibialis: phr. sp. *femoribus basi ferrugineis*; descr. *rufis.* Milesia speciosa: phr. sp. *pedibus rufis;* descr. *pedes ferruginei.* Scatophaga obliterata: phr. sp. *pedibus testaceis*; descr. *pedes rufi.* Scatophaga stictica: phr. sp. *capite rufo;* descr. *caput ferrugineum.* Scatophaga flavipennis: phr. sp. *tibiis testaceis*; descr. *pedes ferruginei.* Scatoph. trimaculata: phr. spec. *abdomine rufo;* descr. *abdomen ferrugineum.* Ther. hirtipes, pilipes et dubia pariter. Stomoxys minuta: phr. sp. *pedibus flavis;* descr. *pedes pallide testacei.* Musca pinguis: phr. *abdom. segmentis basi cinereis:* descr. *cingulis tribus albidis.* Eristalis crassipes: phr. *basi fulvis*; descr. *ferrugineis.*

Aliis quoque terminis Fabricius, quod sane et alii fecerunt, perperam usus est; nam saepe *annulus* et *annulatus* occurrunt pro *fascia* et *fasciatus:* Asilus annulatus S. A. 171. 32. Merodon annulatus 198. 7. Calobata annulata 262. 7. etc.;

annulus enim nonnisi de circo quodam elato corpus aliquod circumdante dici potest. *Tomentum* quoque a Fabricio in Bombyliis et in familia Syrphiarum prave adhibetur, quum tantum de pilis appressis et turbatis dici possit. Neque *villosum* recte semper usurpatur. Etiam mensurae et affinitatum comparatio erroribus manifestis aut vitio non caret. Fabricius enim nonnunquam exoticam aliquam rarissimamque et ex sua ipsius descriptione aegre dignoscendam speciem pro nostrae terrae specie aliqua notissimaque in comparationem abhibet. Et hoc haud raro accidit, ut in phrasi specifica (conferas e. g. Musca dentipes: *femoribus anticis unidentatis*) aut in descriptione (vide Atherix oculata; *oculis maximis os fere obtegentibus*, Syrphus vesiculosus: *oculi omnino coeunt*) notas indicet, quae nonnisi in genus masculinum cadant. Primum abdominis segmentum in enumerando saepius neglectum est, ut in Anthrace Thomae. Certas quasdam notas Fabricius plane non vidit, e. g. venarum alae decursum, cuius ope et alias differentias reperire debuisset, secundum quas species plures diversis generibus adscribendae fuissent. Nec de tenuioribus in alarum venis differentiis hic loquimur, sed de eiusmodi venarum decursibus, qui toto coelo differunt, ut e. g. in *Damali curvipede* et *planicipite* (vid. Zool. Magaz. I. Tab. 2. fig. 3. 4.) in *Eristalide subsultante* et *tenace*, *Cytherea obscura* et *fasciata*, *Sargo cuprario* et *scutellato*, *Scaeva ribesii* et *staminea* etc.

Quae cum ita sint; ex quo museum Fabricianum, Regis nostri clementissimi liberalitate academiae Kiliensi dono oblatum, comparandorum examinandorumque singulorum exemplorum facilitatem nobis concessit, clarissima pro viribus nostris luce insectorum species Fabricii collustrare provinciae nostrae duximus. Quod et facere studuimus, primum singulis, quae in museo extant exemplaribus cum iis communicandis, qui in certis aliquibus ordinibus constituendis describendisque occupentur; tum additamentis operaque nostra, qua *Meigenium* in opere suo nupero de *Dipteris Europaeis* adiuvimus; denique hac nostra editione censuraque eorum Dipterorum exoticorum, quae Fabricius iam enumeravit, quaeque aut in illius, aut in Regis museo Havniensi (Lundio-Sehestadiano olim) conservata exstant. Quod opus nostrum ita quidem instituimus, ut non solum species singulas secundum recentiorum auctorum probatissimas rationes in ordines suas instruxerimus, sed et phrasin specificam ubi opus fuerit emendaverimus, descriptionem vero in omnibus fusiorem dederimus. In omni specie textus Fabricianus in extenso additus est, quod gratissimum fore putamus iis, qui opus Fabricianum ipsum non possident, sed et iis, quorum in manibus opus illud versatur, haud ingratum, cum librorum eius evolvendorum operae supersedere, ac statim textum Fabricianum cum nostro comparare possint. Ac nos quidem pleniora nostra descriptione singularum specierum cogni-

tionem adiutam speramus. Nonaginta quidem dipterorum species a Fabricio enumeratas ipsi non vidimus; sed de ordine, quo in systemate sint disponendae nullum fere relinquitur dubium, nosque eas, apposito crucis signo, post cognitas a nobis eiusdem generis species recensuimus.

Cum vero post Fabricium tot novae species exoticae detectae sint, eas ex his, quas ipsi vidimus, pariter descriptas reliquis addidimus, ut hoc nostrum opus, adiuncto opere Meigeniano, insectorum illum ordinem totum, quantum fieri possit, complectatur; respectu enim specierum exoticarum omnes nostrae curae mancae semper parumque erunt suffecturae. Quibus in museis, quantum sciamus, singulae species exstent, indicavimus; nec minus sexum, ubi singula tantum exemplaria nobis cognoscenda contigerant, et ubique longitudinem secundum veterem Parisiorum mensuram, docuimus.

Dipterorum
exoticorum Sectio I.
antennis multiarticulatis.

Exiguus, si cetera respicias, dipterorum huius generis numerus, ex reliquis mundi partibus in Europa cognitorum, quam incuriosi homines in parvis hisce exilibusque bestiolis fuerint, satis ostendit, quin enim specierum harum numerus maximus sit, nemo est, qui dubitet. Nos quidem minus cognitas has enumerabimus, ac posteriorum temporum industriae sagacitatique plurium specierum cognitionem indiciumque demandamus.

Dispositio Familiae primae Dipterorum. *)

Tipulariae.

Antennae articulis sex aut pluribus distinctis. Palpi exserti, articulati. Halteres nudi. Abdomen segmentis septem aut octo.

A. *Culiciformes.* Oculi lunati. Ocelli nulli. Antennae maribus plumosae, feminis setulosae. Os haud elongatum. Palpi quinquarticulati. Thorax absque sutura transversa. Abdomen octannulatum.

a. Proboscis porrecta antennis longior; palpi recti; alae venis margineque squamulis obsitae.

1. *Culex:* Palpi maribus antennis longiores, feminis brevissimi.

2. *Anopheles:* Palpi in utroque sexu antennis longiores.

3. *Aedes:* Palpi in utroque sexu antennis breviores.

b. Proboscis antennis brevior; palpi incurvi.

4. *Corethra:* Alarum margo squamulosus, venae pilosae.

5. *Chironomus:* Antennae maribus tredecim- feminis sedecim-articulatae.

---

*) Vide: Meigen systematische Beschreibung der bekannten europ. zweiflügeligen Insecten P. 1. Aachen 1818.

6. *Tanypus:* Antennae quatuordecim-articulatae, feminis apice incrassatae.

7. *Ceratopogon:* Antennae tredecim-articulatae, articuli apicales quinque elongati; pedes aequales.

8. *Macropeza:* Antennae tredecim-articulatae, articuli apicales quinque elongati; pedes postici perlongi.

B. *Gallicolae.* Oculi lunati. Antennae setis verticillatis. Palpi incurvi. Alae pilosae, obtusae, venis duabus aut tribus *). Tibiae apice inermes.

9. *Lasioptera:* Alae bivenosae; ocelli nulli.

10. *Cecidomyia:* Alae trivenosae; ocelli nulli.

11. *Campylomyza:* Ocellis praedita.

C. *Noctuaeformes.* Oculi lunati. Ocelli nulli. Antennae moniliformes, setulis verticillatis. Alae latae, hirtae, venis connectentibus nullis. Tibiae inermes.

12. *Psychoda.*

D. *Rostratae.* Oculi rotundati, fronte seiuncti. Ocelli nulli. Caput antice in rostrum productum. Palpi incurvi. Thorax medio sutura transversa sinuata. Abdomen octannulatum. Tibiae plus minus calcaratae.

13. *Erioptera:* Alarum venae pilosae. Pedes intermedii breviores.

14. *Limnobia:* Alarum venae nudae. Antennae simplices. Palporum articuli aequales.

---

*) Ubi de venis sermo est, semper venae longitudinales intelliguntur, nisi contrarium expressis verbis enunciatur.

15. *Rhipidia:* Antennae quatuordecim-articulatae, articuli globiformes remoti, maribus pectinati.

16. *Ctenophora:* Antennae tredecim-articulatae, maribus pectinatae.

17. *Tipula:* Antennae tredecim-articulatae, in utroque sexu simplices. Articulus apicalis palporum elongatus.

18. *Nephrotoma:* Antennae maribus novemdecim feminis quindecim-articulatae, simplices. Palporum articulus apicalis elongatus.

19. *Ptychoptera:* Antennae sedecim-articulatae; palporum articulus apicalis elongatus. Alarum margo internus reflexus.

20. *Nematocera:* Antennae sex-articulatae: flagelli articuli aequales.

21. *Anisomera:* Antennae sex-articulatae: flagelli articulus primus valde elongatus.

22. *Trichocera:* Antennae capillares: articuli basilares crassiores, ceteri obsoleti. Palpi quinquarticulati.

E. *Fungicolae.* Oculi rotundati aut ovales, fronte seiuncti. Ocelli inaequales aut nulli. Palpi incurvi, quadriarticulati. Thorax absque sutura transversa. Abdomen septannulatum. Femora longa. Tibiae calcaratae.

a. Antennae capillares articulis 1. 2. incrassatis, ceteris obsoletis.

23. *Dixa:* Ocelli nulli.

24. *Bolitophila:* Ocelli in seriem dispositi.

25. *Macrocera:* Ocelli in triangulum dispositi.

b. Antennae compressae, sedecim-art.

26. *Synapha:* Oculi rotundati. Ocelli in seriem dispositi. Tibiae absque spinulis lateralibus.

27. *Mycetobia:* Oculi emarginati. Ocelli approximati, triangulum formantes.

28. *Platyura:* Oculi subrotundati. Ocelli approximati, triangulum formantes. Abdomen postice depressum dilatatum. Tibiae absque spinulis lateralibus.

29. *Gnoriste:* Proboscis elongata. Ocelli in triangulum dispositi. Tibiae spinulis lateralibus subtilissimis.

30. *Sciophila:* Ocelli approximati in triangulum dispositi. Tibiae spinis lateralibus. Alae cellula parva media subcostali.

31. *Leia:* Ocelli tres. Tibiae spinis lateralibus. Alae absque cellula media subcostali.

32. *Mycetophila:* Ocellis duobus ad marginem oculorum. Tibiae spinis lateralibus.

33. *Cordyla:* Ocelli nulli. Tibiae absque spinis lateralibus.

F. Lugubres. Oculi fere contigui, profunde emarginati. Ocelli inaequales. Antennae cylindraceae. Palpi triarticulati. Thorax absque sutura transversa. Abdomen septannulatum.

34. *Sciara.*

G. *Latipennes.* Oculi (rubri) maribus supra contigui, feminis distantes, reniformes. Ocelli nulli. Antennae cylindraceae. Palpi quadriarticulati. Proboscis exserta perpendicularis. Abdomen octannulatum. Alae latissimae.

35. *Simulia.*

H. *Muscideae.* Oculi (nigri) maribus supra contigui, feminis distantes, rotundati. Ocelli aequales. Antennae cylindraceae. Thorax absque sutura transversa.

36. *Scatopse:* Antennae undecim-articulatae. Ocelli lunati. *)

37. *Penthetria:* Antennae undecim-articulatae. Oculi rotundati. Pedes inermes.

38. *Dilophus:* Antennae undecim-articulatae. Tibiae anticae apice radiatae.

39. *Bibio* Gffr.: Antennae novem-articulatae.

40. *Aspistes:* Antennae octarticulatae apice clavatae.

41. *Rhyphus:* Antennae sedecim-articulatae.

---

*) Palpi videntur uniarticulati; an sint revera? propter subtilitatem partium difficillime indicatu.

CULEX.

Antennae porrectae, filiformes, 14-decim articulatae: maris plumosae, feminae pilosae. Palpi porrecti 5-articulati: maris proboscide longiores, feminae brevissimi. Proboscis porrecta, longitudine thoracis. Alae incumbentes; venis squamatis.

1. Culex haemorrhoidalis *F.*

Chalybeus, abdominis apice utrinque sanguineo-ciliato. Longit. lin. 5. ♂. Caienna.

Fabr. Ent. syst. IV. 401. 5. Cul. haemorrhoidalis: fuscus abdominis margine apice rufo ciliato.

Gigas in hoc genere. Antennae densissime verticillato pilosae, fuscae primo articulo nudo, coeruleo nitido. Rostrum inter antennas porrectum vagina bivalvi: valvulis obtusis. Seta acuta. Caput fuscum vertice coeruleo, nitidulo. Thorax elevatus, fuscus margine antico punctoque ante alas coeruleis, nitidulis. Abdomen fuscum, apice planum, margine valde rufo ciliatum. Pedes coerulei, nitidi femoribus subtus testaceis. Alae albae costa fusca.

Fabr. Syst. Antl. 35. 8. Cul. haemorrhoid.

Antennae fuscae. Palpi chalybei. Oculi obscure argentei, frons et vertex smaragdino cupreoque micans. Thorax chalybeus in smaragdinum micans; pleurae ferrugineae; scutellum sordide flavicans. Abdomen chalybeum maculis utrinque lineaque media interrupta ferrugineis, lateribus griseo-pilosis argenteoque maculatis; inde ab apice segmenti quinti sanguineo-ciliatum. Venter argenteus flavido indutus. Alae limpidae, fusco-venosae. Halteres albidi, capitulo fuscano. Pedes chalybei, femora subtus argentea. Notan-

dum est colores metallicos provenire a tomento s. squamulis partes obtegentibus. Mus. Fabr.

2. Culex splendens *mihi.*

Chalybeus, abdominis lateribus auratis, tarsorum basi albo-micante. Longit. lin. 5. ♂. Iava.

Wiedemann. Zool. Mag. III. 2. No. 1.

Antennae nigro-fuscae; palpi chalybei compositi e quatuor articulis subaequalibus, ultimo longiore, subulato, haud pilifero. Caput tomento seu squamulis viridaureo micantibus. Thorax griseo-pleurae albido-hirtae. Abdomen chalybeum, segmentorum basi violascente; venter utrinque auratus. Abdominis latera albido-ciliata, segmenta duo ultima ciliis longioribus et densioribus nigro-fuscis, anus ciliis auratis. Alae parum flavicantes, venis fuscano-flavis. Halteres flavicantes. Pedes chalybei, femorum basis flavido tomentosa. In tarsis anticis nil albi, in mediis articulus primus et secundus in posticis secundus tantum basi albidi. Mus. nostrum.

3. Culex violaceus *Hgg.*

Chalybeus thorace fusco, abdominis lateribus auratis, tarsis absque albedine. Longit. lin. 3⅔. ♂. Bahia in Brasilia.

A praecedente differt magnitudine, thorace fusco magis quam griseo et tarsis unicoloribus.

4. Culex molestus *mihi.*

Fuscus, thorace flavo-alboque-vittato; pedibus flavis nigro-alboque-fasciatis. Longit. lin. 4. ♀. Georgia Amer.

Antennae fuscae. Proboscis et palpi ferrugineo-flavicantia apice nigro-fusca; caput niveo-tomentosum. Thorax fuscus, vitta media laete ferruginea, lateralibusque niveis; pleurae fuscae tomento niveo. Abdomen fuscum, vitta ferrugineo-flavicante. Pedes ferrugineo-flavicantes, femorum apex fusco-niger; tibiae ima basi nivei, ceterum vellere fusco-nigro munitae. Tarsorum singuli articuli basi nivei, ceterum vellere fusco-nigro tecti. Mus. nostrum.

5. Culex cilipes *F.*

Brunneus, nitens; pedibus dense ciliatis. Longit. lin. 3½. ♂. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 34. 3. Culex cilipes: fuscus abdomine pallido, palpis haustello longioribus hirtis.

Paullo maior C. pipiente. Caput flavescens, antennis longitudine haustelli utrinque valde pectinatis. Palpi quadriarticulati, hirti, haustello longiores. Thorax gibbus, fuscus, immaculatus. Abdomen cylindricum, pallidum. Pedes elongati.

Abdomen in specimine unico examini nostro concesso, mutilato, brunneum, thorace haud pallidius. Alae dilute fuscanae. Femora et tibiae marginibus dense ciliata. Mus. reg. Havn.

6. Culex cyaneus *F.*

Chalybeus, abdominis lateribus, ventre et femorum basi argenteis. Long. lin. 3¼. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 35. 9. Cul. cyaneus: cyaneus abdominis lateribus linea alba.

Magnitudo et statura C. pipientis. Caput cyaneum, haustello nigro. Thorax cyaneus. Abdomen planum, cyaneum: linea laterali alba. Pedes elongati, nigri, tibiis cupreis.

Antennae fuscanae; caput chalybeum; thorax, abdomen, pedes chalybea, hi in cupreum vergentes. Alae limpidae, venarum squamulis fuscanis. Mus. reg. Havn.

7. Culex laniger *mihi.*

Totus lanuginosus, fusco alboque variegatus. Longit. lin. 4. ♀. Iava.

Proboscis silacea, apice fascia alba; palpi longitudine duarum trientium proboscidis, articulo medio longiore, apicalis. tertio brevissimo, omnibus fuscano-lanuginosis albo intermixto. Antennarum basis silacea, flagellum albidum. Caput fuscano-lanuginosum, linea media alba. Thorax fuscano-lanuginosus, vitta media fasciisque duabus in pleuras continuatis albis. Abdomen album, fascia fuscana in apice singuli segmenti. Alae limpidae venis fusco-alboque squamulatis, margine interno alternatim fuscano-alboque ciliato; halteres albidi. Pedum color fundamentalis silaceus, sed aeque ac truncus fuscano-alboque lanuginosi; in tarsis anterioribus nil albi, in posticis apex albus; tibiae anteriores basi et apice, posticae et medio fasciis albis; femora fasciis quatuor, antica tribus albis. Mus. Westermanni.

8. Culex fuscanus *mihi.*

Fuscanus, thorace vix vittato; abdomine grisseo-fasciato. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$. ♂ ♀. India or.

Antennae fuscanae; palpi flavicantes, infra punctis duobus niveis, fusco pilosi, pilis ante

apicem longioribus, dilutioribus. Thorax fuscanus, griseo-hirtus, ita ut vittae lineares quatuor coloris fundamentalis appareant, uti videtur in speciminibus paulo detritis. Abdomen fuscanum singulo segmento fascia apicali grisea. Alae ad costam parum flavicantes. Pedes fuscano-flavidi. Mus. nostr.

ANOPHELES.

Antennae porrectae; filiformes, 14-articulatae, maris plumosae, feminae pilosae. Palpi porrecti, 5-articulatae, longitudine proboscidis.

Proboscis porrecta, longitudine thoracis.

Alae incumbentes, venis squamatis.

1. Anopheles albimanus *mihi.*

Fuscus, abdomine maculis magnis trigonis griseis, alis fusco-maculatis, tarsorum apice niveo. Longit. lin. 2⅔. ♀. Ins. St. Domingo.

Palporum articuli apice nivei. Abdominis singula segmenta macula grisea apice antrorsum directa. Alarum costa fusco-nigra, flavido ita intersecta ut maculae longitudinales formentur; in margine alarum interno et disco quoque maculae apparent sed multo minores. Mus. nostr.

CHIRONOMUS.

Antennae porrectae, filiformes: maris plumosae, 13-articulatae: articulo ultimo longissimo; feminae 6-articulatae pilosae.

Palpi exserti, incurvi, quadriarticulati. Alae lanceolatae, deflexae.

1. Chironomus cristatus *F.*

Thorace pisicolore, vittis cinerascentibus, abdomine flavido, fusco-fasciato. Longit. lin. 4. ♂. America bor.

Fabr. Syst. Antl. 39. 4. Chir. cristatus: pedibus anticis maximis albis; thorace pallido: maculis tribus obscurioribus, abdomine flavo nigro-annulato.

Statura omnino praecedentis. (Ch. tentans.) Caput parvum nigrum, antennis plumosis, pallidis. Thorax gibbus, pallidus: maculis tribus magnis, oblongis, plumbeis: anteriore in medio, lateralibus posticis. Abdomen annulis flavis nigrisque alternis. Alae albae puncto parvo marginali fusco. Pedes albi geniculis paullulum nigris.

Antennae fuscanae. Thorax vittis tribus latis solitis, minime plumbeis, nam metallico nitore carent, sed fuscis, omni fere situ cinerascentibus s. subpruinosis; pleurae puncto cinerascente, pectus et metathorax cinerascentia. Abdominis fasciae in basi segmentorum sitae, medio latiores et vittulam quasi versus apicem emittentes. Pedes flavicantes. Mus. reg.

2. Chironomus maculatus F.

Flavus, thorace bilineato, abdomine fusco-fasciato, alis immaculatis. Longit. lin. 2¼. ♂. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 40. 8. Chir. maculatus: ferrugineus abdomine maculis atris, alis immaculatis.

Statura parva praecedentium. (Ch. tendens). Caput cum antennis valde plumosis ferrugineum. Thorax gibbus ferrugineus lateribus pallidioribus. Abdomen elongatum, cylindricum ferrugineum: segmento singulo macula

magna dorsali atra, quinto unicolore. Alae albae immaculatae. Pedes pallidi.

Color ferrugineo-flavus, thoracis latera s. pleurae non pallidiora, quid? quod vitta fusca notata. Thoracis lineae duae obscuriores postice coeuntes. Metathorax maculis duabus magnis fuscis, linea flava seiunctis. Maculae abdominis potius fasciae latae vocandae, minime vero atrae sed fuscae. Pedum geniculi fusci, in anticis basis tibiae latior fusca quam femoris apex. Mus. reg.

LIMNOBIA.

Antennae porrectae setiformes, 15-17-articulatae: articulo 1-cylindrico, 2. cyathiformi, sequentibus oblongis seu globosis.

Palpi exserti, incurvi, cylindracei, quadriarticulati: articulis aequalibus.

Ocelli nulli.

Alae (plerisque) incumbentes, parallelae: venis nudis.

1. Limnobia obscura.

Ochrascens, alis ochrascentibus ad costam fusco-lituratis. Longit. lin. 10. ♀. America meridionalis.

Fabr. Syst. Antl. 27. 18. Tipula obscura: obscure testacea alis fuscis: costa nigro maculata.

Paullo maior T. pratensi. Caput cum antennis obscure testaceum. Thorax concolor, vix lineatus. Abdomen valde elongatum, cylindricum. Alae fuscae maculis aliquot marginalibus, obscurioribus. Pedes elongati, pallescentes: geniculis obscurioribus.

Color minime testaceus verum flavo-fuscanus. Thoracis vittae tres tam latae, ut lineis dilutioribus vix sint separatae; vitta media linea obscuriore, antice ad capitis verticem, postice ad metathoracem continuata, dividitur; vittae laterales illa multo breviores. Alarum color dilutior quam trunci, inter lituras dilutissimus; liturae marginales, longitudinales, haud valde determinatae: prima stigmatica maior, costam attingens usque ad venae tertiae originem producta; secunda in medio fere longitudinis alae venae cubitali adiacens; tertia angustissima parvo spatio tantum a secunda separata. Pedes omnino pilis brevibus obsiti; colore trunco dilutiores, geniculis fuscis. Mus. reg.

2. Limnobia longimana.

Ochracea, alis flavicantibus, tarsis anticis apice albis. Longit. lin. 10. ♀. America merid.

Fabr. Syst. Antl. 26. 11. Tipula longimana: alis flavescentibus, pedibus anticis longioribus apice albis.

Statura et magnitudo T. oleraceae. Corpus totum flavescens immaculatum. Alae flavescentes. Pedes antici longiores apice albi.

Antennae laete ochraceae, flagello sensim fuscescente. Caput, thorax, abdomen tenuissimum, pedes brevissime hirti, omnia laete ochracea; alae dilute flavicantes area costali saturatiore; tarsi antici albidi, basi excepta. Mus. Fabr.

3. Limnobia armillaris.

Fusca, abdomine nigro-vittato, alis fusco-punctatis, femoribus fasciis duabus brunneis, tibiis

fasciis duabus, tarsis fascia unica albis. Long. lin. 8. ♀. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 26. 12. Tipula armillaris: alis punctatis obscuris ferruginea, femoribus annulis duobus ferrugineis, tibiis tribus albis.

Media obscure ferruginea abdominis segmentis margine flavis. Pedes elongati femoribus annulis duobus ferrugineis, tibiisque annulis tribus albis. Alae albidae punctis fuscis sparsis.

Caput cinerascens, antennis ochraceis. Thorax rubido-fuscus. Pleurae canescentes, serie macularum fuscarum. Abdomen fusco-ochrascens, vittis linearibus fusco-nigris, incisuris albidis. Alae limpidae vix flavicantes, punctis quatuor fuscis, duobus ad venam submarginalem, duobus ad cellulam stigmosam sitis; venis connectentibus omnibus fusco-limbatis; decursus venarum a Meig. t. 6. f. 2. parum aberrans. Pedes pilosi: femora ochraceo-flavicantia, apice et fascia pone apicem brunneis; tibiae brunneae fascia post basin et altera pone apicem alba Mus. reg.

Alae sicut Meig. T. 5. f. 4.

4. Limnobia acrostacta *mihi.*

Fusca, abdomine flavicante apice nigro, alis fuscis, guttis duabus lunulaque albis. Longit. lin. 12. ♂., 8. ♀. Iava.

Antennae ochraceae, caput et antennarum articulus I. cana. Thorax obscure ferruginosus, vittis tribus obsoletissimis colcotharinis. Abdo-

men vittis tribus fuscis, quarum media in mare est dilutior et in singulo segmento ad basin interrupta, in femina nigra et non interrupta. Abdominis segmentum 1. brevius et omnino fuscum; 6 et 7 nigra, illud in mare ad basin maculis duabus flavis oblongis. Alarum gutta prima ad costam versus basin, secunda in ipso apice, lunula pone medium nec costam nec marginem internum attingens, basin versus convexa; halteres fusci. Pedes ochraceo-fusci, femora apice nigra, tibiae apicem versus sensim nigricantes, tarsi nigri. Mus. Westermanni et nostrum.

5. Limnobia basilaris *mihi.*

Atra, alis fuscis basi flavis, fasciis maculisque duabus albis. Longit. lin. 8. ♂. 7. ♀. Iava.

Antennarum articulus 1. canescens, flagellum fuscum. Caput nigrum, certo situ maribus paulum feminis valde canescens. Stethidium et abdomen atra. Alarum basis vix ultra primas venas connectentes flava; pone partem flavam sub vena submarginali macula minor, transversa, angusta; fascia prima pone medium sub vena submarginali incipiens usque ad venam penultimam extensa, marginibus angulosis, sub vena antepenultima abrupte angustata, in femina hic interrupta. Fascia secunda lunaris iuxta apicem et huic parallela. Halteres fusco-nigri. Pedes nigri, femoribus basin versus sensim ferruginosis. Mus. Westermanni.

Alae sicut Meig. T. 4. f. 15.

Limnobia maculata.

Ochracea, abdomine nigro-limbato, alis fuscanis, maculis fuscis, plurimis albido-limbatis. Longit. lin. 6. America mer.

Fabric. Syst. Antl. 30. 29. Tipula maculata: alis obscuris: fasciis fuscis annulisque numerosis pallidis.

Statura et magnitudo omnino T. ocellaris (Limn. punctata Mg.) Caput, thorax, abdomen pallescentia. Alae obscurae, fasciis obscurioribus annulisque numerosis albis. Pedes flavescentes annulo femorum fusco.

Caput ochraceo-flavicans, thorax linea saturatiore antice supra occiput continuata, postice scutellum non attingente. Abdomen utrinque vitta nigricante; venter fusco-fasciatus. Alae dilute fuscanae, maculis saturatioribus, forma varia, plurimis limbo albo circumdatis, in sequentem ordinem dispositis: a) ad costam seu marginem externum: 1) pone alae basin, fasciformis, dilutior, aegre conspicienda; 2) distincta, fasciformis, omnium fere saturatissima; 3) maior, ad latitudinis alae dimidium extensa; 4) maxima, ocellaris, infra latitudinis alae dimidium macula alia oblongo-quadrata coniuncta; 5) minor venulam connectentem includens et venam cubitalem non transgrediens; 6) maxima, fasciam sinuatam referens, usque ad marginem internum extensa et puncta albida quatuor aut quinque continens; 7) et 8) mediae magnitudinis; 9) macula apicalis sinuata, punctis tribus albidis, apicis marginem attingentibus, notata; 10) ante apicem in medio latitudinis macula circularis, basin furculae venae

apicalis continens. Porro: b) ad alae marginem internum: 11) et 12) maculae duae mediae magnitudinis; 13 macula fasciformis, versus maculam 8. adscendens; 13) extremitas interna fasciae 6; 14-16) maculae tres minores; 18 series macularum angustarum. Pedes non omnino flavicantes, femora potius fusca, fascia et apice flavicantibus; tibiarum basis flavicans, reliqua pars fusca versus apicem sensim flavescens; tarsi omnino flavicantes. Mus. reg.

Alae sicut Meig. T. 5. f. 4.

6. Limnobia erythrocephala.

Glaucescens, capite ferrugineo, alis fuscis fascia lata limpida. Long. lin. $5\frac{1}{2}$ ♂. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 31. 35. Tipula erythrocephala: glauca capite fulvo, alis fuscis: fascia lata alba.

Media. Caput cum antennis fulvum. Thorax gibbus glaucus. Abdomen cylindricum, glaucum segmento quinto sextoque nigris. Alae fuscae fascia lata media alba.

Caput et antennarum basis ardentissime ferruginea, antennarum flagellum fuscum. Trunci color ochraceus, non nisi certo situ, praesertim in pleuris, glaucescens, seu potius margaritaceum nitorem induens. Abdomen ferrugineo-flavicans, omni situ fasciis submargaritaceis apice et basi segmentorum contiguorum communibus; non solum segmentum 5 et 6, verum etiam 7 nigrofuscum; vel primum segmentum, sed dilute fuscanum. Alarum margo internus pone basin limpidus. Pedes desunt. Mus. reg.

Alae sicut Meig. T. 6. f. 5.

7. Limnobia bifasciata.

Nigra, nitens, thorace antice ochraceo, alis fasciatis. Longit. lin. 3. ♂. America merid.

Fabr. Syst. Antl. 31. 38. Tipula bifasciata: atra, thorace antice rufo, alis fasciatis.

Corpus parvum. Thorax ater, nitidus, antice rufus. Abdomen cylindricum nigrum. Alae albidae: fasciis duabus, posteriore abbreviata, apiceque fuscis. Pedes antici longissimi, pallidi geniculis nigris.

Antennae et caput ochraceo-fusca. Stethidium nigrum, nitens, basi ochraceo-flavicante, lineaque ab humeris ad alarum insertionem ochracea. Abdomen nigrum incisuris flavis. Alae limpidae: fascia prima seu macula potius rhomboidalis angulo acuto altero originem venae longitudinalis secundae, altero finem ultimae includens; secunda saturatior, apicem areae costalis venasque connectentes medias omnes includens; 3. macula maxima apicem alae ipsum tenens, usque ad venas connectentes apicales extensa. Halteres ochraceo-flavidi. Pedes antici (ceteri desunt) ochraceo-flavidi; femorum apex fusco-niger; tibiae fuscanae. Mus. Fabr.

8. Limnobia melanocephala.

Ferrugineo-flavicans, thorace brunneo-vittato, alis nubeculis tribus fuscanis. Longit. lin. vix 4. Caienna.

Fabr. Eytom. syst. IV. 241. 33. Tip. melanocephala; testacea capite lineaque thoracis dorsali nigris, alis hyalinis: strigis tribus fuscis.

Parva. Caput valde porrectum cum antennis nigrum. Thorax gibbus testaceus linea dorsali nigra. Abdomen cylindricum testaceum linea dorsali baseos nigra. Alae hyalinae strigis tribus abbreviatis fuscis. Pedes testacei genubus fuscis.

Fabr. Syst. Antl. 30. 32. Tipula melanocephala.

Caput fuscum. Thorax ferrugineo-flavicans, trivittatus; vitta media ab apice ad longitudinis medium extensa ibique vittas laterales antice abbreviatas tangens. Vittae terminales thoracem inter et pleuras brunneae distinctae. Abdomen ferrugineo-flavicans, venter flavo-albidus. Alae limpidae, nubeculae ad costam sitae: prima originem venae secundae a vena submarginali includens, media venulam connectentem mediam tangens et fasciolam angustissimam angulatam, seu limbum ceterarum venularum connectentium mediarum, emittens; tertia apicalis, finem areae costalis tangens. Vena ultima pariter fuscano limbata. Haec sunt quae in specimine mutilato Musei Fabr. observare licuit.

CTENOPHORA.

Antennae porrectae 13 articulatae: articulo 1. cylindrico; secundo globoso; 3. oblongo; sequentibus maris pectinatis, feminae simplicibus globosis s. ovalibus.

Palpi exserti, incurvi cylindrici; quadriarticulati: articulo ultimo elongato.

Ocelli nulli.

Alae divaricatae, nitidae.

1. Ctenophora laeta *F.*

Ferruginea; alis fuscis, maculis duabus magnis punctoque medio dilute melleis. Longit. lin. India orient.

Fabr. Ent. syst. IV. 239. 27. Tipula laeta: ferruginea alis nigris: fasciis duabus abbreviatis punctoque medio flavescentibus.

Statura et magnitudo T. 2. maculatae. Caput mihi deest. Thorax et abdomen ferruginea immaculata. Alae nigrae basi flavescentes. Fasciae duae, altera ante, altera pone medium flavescentes, quae tamen marginem tenuiorem haud attingunt. Inter fascias punctum ad marginem crassiorem flavicans. Femora ferruginea, apice nigra. Tibiae nigrae, basi niveae.

Fabr. Syst. Antl. 19. 8. Ctenophora laeta.

Caput flavum antennis brevibus, crassis serratis nigris: articulo primo flavo. Tibiae nigrae basi annulo niveo.

Ardentissime ferruginea. Alarum basis dilute mellea, macula prima ad costam cum parte baseos mellea confluens; punctum medium sub area costali, venam subcostalem includens, eaque quasi truncatum; macula secunda a costa ipsa usque ad venam longitudinalem antepenultimam extensa sensimque parum angustata. Femora apice late nigro-fusca, tibiae tarsique nigro-fusca, illae basi fascia alba angusta, summam basin non includente. Mus. Fabr.

2. Ctenophora ardens *mihi.*

Ferruginea, alis croceo-flavis apice fuscanis, pedibus nigris, tibiis posticis fascia alba. Longit. lin. 8. ♀. Iava.

Tota ardentissime ferruginea, thorax vittis tribus latis paulo saturatioribus obsoletissimis; abdomen apicem versus saturatius. Alae apice et margine interno parum fuscanae; apex venae penultimae fuscano-limbatus, inter hanc venam et ultimam macula parva late triangularis limpida; halteres dilute ferruginei. Femora ferruginea apice nigra; fascia tibiarum posticarum alba flavicans angusta, in ima basi. Mus. Westermanni.

3. Ctenophora compedita *mihi.*

Flava, thorace nigro-vittato, alarum apice fusco; pedibus nigris, tibiis omnibus albo-fasciatis. Longit. lin. 7. ♀. Iava.

Antennae ochraceae, flagello basi apiceque fusco; palpi flavicantes; caput cucumerinum (eigentlich königsgelb) macula occipitali nigra. Thorax cucumerinus, vitta media linea flava divisa, postice abbreviata, lateralibus antice abbreviatis trans suturam incrassatis et ita connexis ut ante eas punctum flavum remaneat; scutellum cucumerinum nigro limbatum, metathorax macula nigra; pleurae maculis fuscis. Abdomen postice sensim saturate ferrugineum, maculis utrinque 5 atris latera segmentorum 4-8 tenentibus, in segmentis ventralibus quoque obviis. Alae croceo-flavae, apex saturate fuscus; apex venae penultimae fusco limbatus; halteres flavi. Femora anteriora basi et subtus ochracea; tibiarum basis fascia alba. Mus. Westermanni.

TIPULA.

Antennae porrectae tredecim-articulatae: articulo 1. cylindraceo, 2. cyathiformi, sequentibus cylindraceis, pilosis.

Palpi exserti incurvi cylindrici quadriarticulati: articulo ultimo elongato.

Ocelli nulli.

Alae lanceolatae, divaricatae.

1. Tipula tricolor *F.*

Fuscana, thoracis lateribus cinereis; abdomine vittato, alis medio albidis costa venaque apice bifida fuscis. Longit. lin. 10 ♀. Georgia americana.

Fabr. Ent. syst. IV. 235. 9.: tricolor, alis albidis: margine exteriori nervoque apice bifido fuscis.

Habitat in America boreali. Mus. Dom. Lewin.

Statura praecedentis (T. oleracea). Thorax obscure cinereus, basi pallidior. Abdomen fuscum, cinereo lineatum et ad basin singuli segmenti puncta duo parva nigra. Alae costa fusca, in medio albicantes, nervo valido, apice bifido, nigro.

Fabr. Syst. Antl. 26. 13.

Antennarum basis fusca, flagellum luteum articulis fuscis. Caput flavicans, fronte fuscana linea media saturatiore. Thorax fuscanus vix vittatus; vitta media lineis tribus, quarum una in medio ceterae ad latera longitudinaliter decurrunt. Thoracis margines laterales et pleurae albido cinerea; scutellum et metathorax flavicantia. Abdomen flavicans, vittis duabus fuscis, a medio et marginibus lateralibus aeque remotis.

Puncta nigra Fabr. sunt lineolae transversae in multis speciebus obviae. Basis primi segmenti abdominis omnino flavicans. Alae fuscanae, ad costam et venam apice bifidam fuscae; discus et lunula s. plaga versus apicem alae albida. Halteres fusci. Pedes longissimi, flavido-fuscani; apex femorum tibiarumque et tarsi nigro-fusci. Mus. de Winthem Hamburgae.

2. Tipula pedata *mihi.*

Ochracea, alis apice fuscanis, tibiis anterioribus uni-posticis bifasciatis, tarsis apice albis. Longit. lin. 10. ♀. Iava.

Antennarum basis flavicans, flagellum fuscum. Caput ochrascens, proboscis flavicans lateribus fuscis; palpi fusci, articulo apicali flavicante. Thorax ochraceus linea media fusca, lateribus pleurisque dilutioribus. Scutellum vitta media non valde determinata fusca. Abdomen ochraceum, in primo segmento crux Andreae fusca; in posterioribus segmentis singulis macula trigona fusca, apice antrorsum versa. Alae limpidae, venis fuscis, macula disci parva subquadrata extremoque apice fuscanis, stigmate limboque venarum connectentium fuscis. Halteres fusci. Femora ochraceo-flavicantia, apice nigro-fusca, tibiae nigro-fuscae, fascia ante apicem, tibiae posticae fascia altera pone basin albis; basis primi articuli tarsorum ultra dimidium nigro-fusca, apex cum ceteris articulis alba. Mus. Westerm.

3. Tipula Soror *mihi.*

Pallide fuscana, thorace abdomineque fusco-vittatis, alis pallidissime fuscanis, costa fusca. Longit. lin. $8\frac{1}{2}$ ♀. Prom. bon. spei.

T. oleraceae F. simillima, sed color flavicans magis quam cinerascens. Antennae flavicantes; palpi fuscani; caput cinerascens linea fuscana obsoleta. Thorax vittatus T. oleraceae prorsus similis, sed vitta media linea dilutiore non divisa; vitta terminalis thoracem inter et pleuram saturatior fusca; metathorax cinerascens albido-limbatus. Abdomen fusco-trivittatum. Alae ad amussim T. oleraceae similes. Halteres fusci. Pedes fuscani; apex femorum tibiarumque saturate fuscus. Mus. Westermanni.

4. Tipula pectinata *mihi*

Ochracea, thorace vittato, antennis pectinatis, alis flavicantibus. Longitudo circiter lin. 8. ♂. America mer.

Antennarum basis ferrugineo flavicans, flagellum fuscanum; palpi fusci, proboscis mellea vitta media fuscana. Thoracis vittae ochraceae latae, media linea dilute flava divisa et a lateralibus pariter lineis flavis separata, laterales bis interruptae. Pleurae dilute flavae certo situ albo-micantes, maculis ochraceis pluribus. Abdomen ochraceum unicolor. Alae flavicantes area costali et stigmate saturatioribus. Venarum decursus sicut in Tipula pratensi L. Pedes elongati, ochracei, apicem versus sensim saturatiores.

Specimen abdomine mutilatum in Mus. regio exstat sub nomine T. longimanae F. a qua toto coelo differt. Est species intermedia, Palpis quadriarticulatis Limnobiis, antennis pectinatis (a quarto usque ad nonum articulum dentes sex validi et longi, deorsum directi, singulorum articulorum basi inserti adsunt) Ctenophoris, numero articulorum et directione antennarum, decursuque venarum alarum Tipulis similis.

5. Tipula flavicans *F.*

Cinerascens, abdomine flavido, fusco limbato; pedibus longissimis flavidis; alis flavicantibus maculis fuscanis, areis dilutioribus. Longit. lin. 7. ♂. America bor.

Fabr. Syst. Antl. 24. 5. Tipula flavescens (in erratis: pro flavescens l. flavicans): cinerea alis pedibusque flavicantibus.

Statura et magnitudo praecedentium (T. oleracea, hortorum) Antennae flavicantes: articulis apice pilosis, nigris. Caput cinereum ore prominulo flavescente Thorax cinereus, immaculatus. Abdomen cinereum: linea dorasli fusca. Alae flavae punctis duobus marginalibus fuscis. Pedes elongati, flavi, immaculati.

Antennae flavicantes, articuli flagelli apice fusci, pilis verticillatis. Caput rubido-cinerascens; rostrum flavicans. Thorax rubido-cinerascens, quasi pulverulentum; pleurae dilutiores. Abdomen flavidum limbo utrinque fusco, apice superne fuscano, ano ipso dilutius flavicante. Alae abdomen plusquam triente superantes; stigma dilutum puncto fusco antico et postico terminatum. In medio disci alarum maculae

duae parvulae, seu puncta obsoletiora fuscana secundum longitudinem disposita, inter quae area dilutior; extremitas venae ultimae et antipenultimae fuscano-limbata. Cellulae apicales dilutiores. Halteres flavicantes, capitulo fuscano. Pedes breviter hirti, tibiae posticae distinctius pilosae; femorum apex ochraceo-fuscus. Mus. Fabr.

6. Tipula elegans *F.*

Crocea, thorace nigro-vittato, abdomine fasciato. Longit. lin. 6. ♀. America merid.

Fabr. Syst. Antl. 28. 10. Tipula elegans: fulvo nigroque varia, abdominis segmentis basi fulvis apice nigris.

Statura omnino T. crocatae. Antennae nigrae: articulo primo flavo. Caput fulvum: puncto magno verticali atro. Thoracis dorsum atrum, lineis duabus punctoque utrinque fulvo. Scutellum atrum linea media basi bifida fulva. Abdomen incurvum, planiusculum: segmentis basi fulvis, apice nigris, ano nigro. Alae hyalinae costa flavescente. Pedes nigri femoribus fulvis.

Inconsequentiam textus Fabriciani singularem in huius speciei descriptione invenimus; nam postquam descriptioni Linneanae Tip. cornicinae tacite assentiit et Tipulae histrionis thoracem flavum nigro-maculatum iure dixit, de T. elegante, cuius thorax cornicinae est simillimus, enunciat: »thoracis dorsum atrum lineis etc. fulvis.” Nos autem discrimen vix ullum in pictura thoracis cornicinae et elegantis conspicimus, nisi quod in elegante adsit punctum nigrum ante alae insertionem, extremitatem anticam vittae lateralis

dorsi tangens; quod scutelli apex sit brunneo-nigricans et metathoracis vitta paulo angustior. Cum antennarum articulus 1. eodem gaudeat colore ac reliquum caput, illud »flavo" textus Fabr. in »fulvo" mutandum fuisset, sed revera color est dilute croceus (nempe illi similis qui aqua ex croci sativi antheris extrahitur). Abdominis fasciae brunneae, antice saturatiores; penultimum segmentum fascia caret; anus subbadius. Alae omnino dilute flavicantes; halteres crocei, petiolo fuscano. Femora crocea. Mus. reg.

7. Tipula iavana *mihi*

Flava *), thorace abdomineque nigro trivittatis, pleuris fuscano vix maculatis; pedibus ochraceis. Longit. lin. 6. ♂. Iava.

Tipulis Histrio et cornicinae F. affinis. Antennarum basis flava, flagellum fusco-nigrum, articulis brevibus crassiusculis. Caput flavum absque macula occipitali. Thorax vittis nigris nitentibus sicut in T. cornicina; scutellum fusco-nigrum basi parum flavum, metathorax apice tantum niger absque vitta media; pleurae dilutius flavae; macula media alteraque ad pectus ochraceo-fuscanis, lineisque duabus ad suturas nigris. Abdomen vitta media interrupta postice dilatata nigra, lateralibus multo dilutioribus. Alae limpidae venis fusco-nigris,

*) Coloris *flavi regii* sic dicti.

stigmate fuscano; halteres fusci capitulo flavo. Coxae fuscano-flavidae, pedes ochracei, extremus apex femorum tarsique fere toti nigri. Mus. Westermanni.

8. Tipula antennata *mihi*

Flava thorace nigro-vittato, pleuris nigromaculatis; pedibus nigris. Longit. lin. 5. ♂. Prom. bon. spei.

Tip. cornicinae F. affinis. Antennarum basis ferruginea, flagellum nigrum, articulis longiusculis, unde antennae longiores quam in specie praecedente; palpi nigri; caput subaurantiacum macula occipitali nigra trigona. Thorax vittis tribus nigris nitentibus; scutellum nigro fuscum; metathorax vitta media apiceque nigris; pleurae lineis duabus ad suturas et macula media nigris; pectus inter coxas anteriores utrinque macula nigra. Abdomen utrinque vitta fusca. Alae parum flavicantes, venis fusco-nigris, stigmate fuscano; halteres fusci, capitulis certo situ flavicantibus. Pedes nigri, femora fusca apice nigra sed minus abrupte quam in praecedente. Mus. Westerm.

9. Tipula ferruginea *F.*

Flava, thorace ochraceo-vittato; abdomine maculis trigonis fuscis. Longit. lin. 5. ♂. America bor.

Fabr. Syst. Antl. 28. 19. Tipula ferruginea: ferruginea thorace flavo-lineato, abdomine linea dorsali punctorum nigrorum.

Statura et magnitudo T. histrionis. Caput ferrugineum, antennis elongatis nigris: articulo primo ferru-

gineo. Thorax gibbus, lateribus lineisque duabus, dorsalibus, basi coeuntibus flavis. Abdomen ferrugineum: linea dorsali e punctis atris. Alae hyalinae, puncto marginali flavescente. Pedes flavescentes.

Antennae solito haud longiores, basi flavicantes, flagello sensim fuscanae; frons et vertex ferruginea, occiput macula magna trigona fuscana. Thorax flavus vittis tribus solitis ochraceis, tam latis ut interstitia sint linearia; unde in textu Fabricii eadem obvia est inconsequentia ac in Tip. elegantis descriptione supra castigata. Scutellum et metathorax vitta lata ochracea. Pleurae dilutius flavae maculis aliquot ochrascentibus. Abdomen flavum, macula trigona fusca in basi singuli segmenti. Alae flavicante-hyalinae, stigmate dilutissime ochraceo; halteres ochracei capitulis flavicantibus. Pedes ochraceo-flavidi, apice femorum et tibiarum tarsisque fuscis. Mus. reg. et Fabr.

Nematocera fuscana *mihi.*

Ex helvo-fuscana, abdomine fusco-maculato, antennis pedibusque longissimis. Longit. lin. 6. ♀. Iava.

Habitus omnino Tipulae. Antennae longitudine pollicum duorum cum dodrante, pilis brevissimis hirtae: articulus 1. cylindricus crassus, 2. cyathiformis, octo sequentes cylindrici, filiformes, longitudine versus apicem sensim crescentes. Palpi articulis quatuor aequalibus fuscis. Thorax linea media, vittisque interruptis lateralibus fuscis. Scutellum parum albicans,

vitta fusca. Pleurae certo situ albido pruinosae. Abdomen utrinque vitta maculari fusca. Alae longitudine abdomen plusquam dimidio superantes, limpidae, stigmate fuscano; venarum decursus sicuti in genere Tipula. Femora et tibiae longitudine subaequalia; tarsi posteriores longissimi. Mus. Westermanni.

Haec species nonnisi longitudine et tenuitate antennarum Nematoceris adnumerari potest, nam numero articulorum et venarum alae decursu etc. differt, iure forsan peculiare genus formare poterit, cuius elaborationem tempori opportuniori reservamus necesse est.

PLATYURA.

† Platyura carbonaria.

Nigra, abdominis segmentis margine laterali albis. Carolina.

Ceroplatus carbonarius Bosc. Dict. d'hist. nat. IV. 545. Ceropl. carb. Fabr. Syst. Antl. 16. 2.: ater, abdominis segmentis margine laterali albis.

Statura omnino praecedentis (C. tipuloides). Antennae compressae, obtusae, multiarticulatae. Caput nigrum. Thorax gibbus, niger; immaculatus. Abdomen elongatum, cylindricum, nigrum segmentorum marginibus latere albis. Alae hyalinae, apice nigrae: macula alba. Pedes obscuri. Mus. Bosc.

PENTHETRIA.

Antennae porrectae, cylindricae; perfoliatae, 11 articulatae.

Oculi ovales.
Ocelli tres.
Palpi exserti, incurvi, quadriarticulati.
Pedes inermes.

1. Penthetria ruficollis *Hgg.*

Nigra, thorace flavicante-testaceo, alis fuscis. Longit. lin. 4. ♂. ♀. America mer.

Fabr. Spec. ins. II. 410. 53. Tipula ruficollis: glabra atra thorace rufo. — Habitat ad Cap. bon. sp.

Statura praecedentium (T. Iohannis, Pomonae). Corpus totum atrum solo thorace gibbo, rufo. Alae ipsae fucsae, ad marginem crassiorem obscuriores.

Fabr. Ent. syst. IV. 249. 76. Tipula ruficollis.

Fabr. Suppl. 552. 6. Hirtea ruficollis.

Fabr. Syst. Antl. 53. 9. Hirt. ruficollis. Habitat in America mer.

Caput cum antennis nigrum. Stethidium totum cum coxis testaceum in rufum migrans. Abdomen fusco-nigrum, pube brevissima nigra. Alae abdomen longitudine multo superantes cum halteribus fuscae. Pedes nigri, breviter hirti. Specimen Mus. Fabr. ♂. nonnisi ventre et pedibus parum glabrum, ad amussim conveniens cum ♀. et ♂. Mus. nostri e Bahia Brasiliae missis.

2. Penthetria fulvicollis *mihi.*

Nigra, thorace testaceo, alis fuscis. Longit. lin. 3-4$\frac{1}{4}$ ♂ ♀. Sumatra. Iava.

Fabr. Syst. Antl. 53. 10. Hirtea fulvicollis atra, thorace rufo, alis fuscis, antennis capite brevioribus.

Paullo minor antennis brevioribus, crassioribus, Thorax rufus, immaculatus. Abdomen crassum breve, obtusissimum. Alae obscurae, nigrae. Pedes atri.

Vix ullum discrimen est inter hanc speciem et praecedentem, nam *Fabricii* antennae breviores et magnitudo minor non valent, cum feminis huius generis est caput minus at corpus maius, nec auctor sexus discrimen adnotavit. Pedes sunt breviores et robustiores quam in praecedente et color Stethidii magis ruber. Mus. nostrum.

Penthetria collaris *mihi.*

Nigra, thorace glaberrimo postice testaceo; alis dilute fuscis. Longit. lin. 3. 4. ♂ ♀. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 54. 12. Hirtea collaris: nigra thorace potice rufo alis fuscis.

Statura omnino H. ruficollis. Caput nigrum. Thorax striatus, antice niger, postice rufus. Abdomen nigrum. Pedes nigri. Alae obscure hyalinae.

Fabr. Syst. Antl. 163. 32. Laphria thoracica: glabra nigra, thorace postice rufo.

Parva. Caput nigrum. Thorax antice niger, postice rufus. Abdomen et pedes nigra. Alae obscurae.

Antennae fuscae; caput nigrum. Thorax sulcis tribus; metathorax niger; pleurae fusco-nigricantes. Abdomen nigrum sed non glabrum. Alae dilute fuscae; halterum pediculus subtestaceus. Pedes robusti nigri. Mus. Fabr. ♂. sub nomine Laphria thoracica. Mus. n. ♂ ♀.

4. Penthetria funebris *Hgg.*

Anthracina, abdomine glabro, alarum venis fusco limbatis. Longit. lin. 3½ ♂. Amer. merid.

Fabr. Syst. Antl. 54. 14. Hirtea funebris: glabra atra abdomine lobato, alis nigris: venis atris.

Magnitudo fere H. febrilis. Statura et antennae omnino huius generis. Corpus totum glabrum, atrum minime nitidum. Abdomen depressum, planum segmentis utrinque lobatis. Alae valde obscurae: venis obscurioribus. Pedes atri.

Thoracis latera fusca; abdominis dorsum fusconigrum; alae minime nigrae sed potius disco limpidae, venae vero fusco limbatae ita ut area costalis et cellula apicalis omnino fusco sint repletae. Pedes anthracini. Mus. reg.

S C I A R A.

Antennae porrectae, cylindricae, pubescentes, 16-articulatae, articulis duobus primis crassioribus.

Oculi profunde emarginati.

Ocelli inaequales.

Palpi exserti, incurvi, triarticulati.

Alae incumbentes, parallelae.

Sciara americana *mihi*.

Nigra, alis fuscis; abdominis basi fascia rufa. Longit. lin. 3. Brasilia.

Tota nigra excepta fascia annulari (elevata) in dorso segmenti primi pallide rufa. Halteres nigri. Alae abdomen tertia parte superantes, latae, ad marginem internum paulo dilutius nigrofuscae. Mus. de Winthem Hamburg. et nostr.

Sciara melanocephala. *F.*

Ochraceo-flavicans, capite nigro; alis fuscanis. Longit. lin. 2. ♀. America mer.

Fabr. Syt. Antl. 60. 16. Sciara melanocephala: testacea capite atro, alis nigricantibus.

Statura omnino parva praecedentium (Sc. cincta [Rhyphus fenestralis Meig.] et Sc. longicornis Macrocera phalcrata Meig.?). Caput cum antennis atrum immaculatum. Thorax testaceus. Abdomen testaceum ano obscuriore. Alae nigricantes immaculatae. Pedes pallidi.

Antennae nigro-fuscae. Trunci color minime testaceus. Abdominis apex niger. Alae fuscanae, minime nigricantes. Pedes reliquo corpore vix pallidiores; femorum basis subtus puncto nigro notata; tarsi fuscani. Mus. reg. Havn.

DILOPHUS.

Antennae porrectae, cylindricae, perfoliatae, 11-articulatae.

Palpi exserti, incurvi, 5-articulati: articulo 3. apice dilatato.

Tibiae anticae apice radiatae.

Dilophus bicolor *mihi*.

Niger, stethidio femoribusque rubido-flavis; alis fuscis venis limbo dilutiore. Longit. lin. 3. ♀. Prom. b. sp.

Caput cum antennis, thoracis apex et vitta postice abbreviata, scutellum, abdomen, halteres, tibiae, tarsi nigra. Mus. Westermanni.

BIBIO.

Antennae porrectae, cylindricae, perfoliatae, 9-articulatae.

Palpi exserti, incurvi, cylindrici, 5-articulati: articulo 1. brevissimo.

Ocelli tres.

Tibiae anticae apice mucronatae.

Bibio melanogaster *mihi.*

Nigra griseo pilosa ♂. thorace femoribusque rubido-flavis ♀.; alis infumatis ♂♀. Longit. lin. 4. ♀. 3½ ♂. Prom. bon. spei.

Mas totus niger oculis et toto corpore dilute griseo pilosis; spina tibiarum anticarum saturate rubida; alae infumatae costa nigra.

Femina thorace rubido-flavicante vittis tribus obsoletis saturatioribus et linea longitudinali media nigricante; pleurae nigrae. Coxae nigrae; femorum apex extremus niger; tibiarum anticarum spina intense rubida; alae paulo saturatius infumatae; costa nigra; halteres in ambobus sexubus nigri. Mus. Westermanni.

Bibio femorata *mihi.*

Nigra, fulvo hirta; femoribus badiis; alis fuscis. Longit. lin. 4. ♀. Amer. bor.

Tota nigra et hirsutie fulva, inprimis lateribus abdominis et pleuris conspicua, munita. Femora sola badia, spinae terminales tibiarum anticarum subbadiae. Antennae halteres et pedes, postici desunt, nigro-fusci.

Species mihi invisae

† Culex longipes *F.*

Fabr. Syst. Antl. 34. 2.

Ater cupro nitidulus, pedibus elongatis: tibiis posticis elongatis.

America meridionalis.

Paullo maior C. pipiente. Haustellum exsertum, apice parum incrassatum. Antennae valde pectinatae. Thorax et abdomen atra, parum cupro nitidula, Alae obscurae. Pedes elongati tibiis compressis, ciliatis, tarsis apice parum albicantibus.

† Culex ciliatus *F.*

Fabr. Syst Antl. 35. 10.

Coquebert Illustr. iconogr. insect. 121. tab. 27. fig. 7.

Fabr. Ent. syst. IV. 401. 6.

Niger thoracis linea dorsali pedibusque flavis tibiis ciliatis.

Carolina.

Paullo praecedente (C. haemorrhoidalis) minor. Antennae filiformes verticillatae, cinerascentes. Rostrum flavescens, apice nigrum atomis niveis. Thorax gibbus ater linea dorsali laete flava. Abdomen cylindricum, nigrum, immaculatum. Alae obscurae margine tenuiore valde ciliato. Pedes testacei tibiis omnibus tarsisque posticis valde ciliatis.

Culice molesto nostro summe affinis, idem forsan. Icon Coquebertii pessima, pedum anteriorum tarsi ex imaginatione rudi artificis suppleti. Vellus tibiarum, contrectatione lateribus detritum, cilia mentitur.

† Culex cingulatus *F.*

Fabr. Syst. Antl. 36. 11.

Testaceus, haustello tarsisque posticis albo annulatis.

America meridionalis.

Statura et magnitudo omnino C. pipientis. Corpus totum testaceum haustello tarsisque posticis albo annulatis.

† Culex fasciatus *F.*

Fabr. Syst. Antl. 36. 13.

Ater haustello tarsisque anticis albo fasciatis.

Americae insulae.

Magnitudo C. pipientis. Caput nigrum haustello porrecto Fasciis tribus niveis. Thorax niger, linea dorsali alba. Abdomen obscurum. Alae albae immaculatae. Pedes nigri, tarsis anticis fasciis tribus niveis.

† Chironomus pubicornis *F.*

Fabr. Syst. Antl. 43. 23.

Albus ano pedumque annulis fuscis, antennis plumosis, alis punctatis.

America meridionalis.

Statura parva praecedentis (Ch. plumicornis Corethra pl. Meig.). Antennae plumis densis albis. Caput et thorax albida. Abdomen cylindricum, album, ano fusco. Alae albae punctis parvis fuscis. Pedes albi, fusco annulati.

† Chironomus hirticornis. *F.*

Fabr. Syst. Antl. 46. 39.

Ater alis fuscis: fascia albida, antennis longis, verticillato pilosis.

America meridionalis.

Antennae corpore longiores, nigricantes, multiarticulatae: articulis pilis longioribus verticillatae; articulo primo longiore, ferrugineo. Thorax ater, antice ferrugineus. Abdomen compressum, nigrum, subtus ferrugineum. Alae fuscae: fascia lata alba. Pedes elongati, testacei.

† Tipula longipes *F.*

Fabr. Syst. Antl. 25. 7.

Alis fusco venosis, pedibus longissimis: annulis apiceque albis.

America meridionalis.

Corpus medium. Caput cinereum, oculis magnis atris. Thorax gibbus, fuscus, subtus pallidus. Abdomen elongatum, cylindricum, fuscum: maculis lateralibus flavis. Alae abdomine dimidio breviores, hyalinae, fusco venosae. Pedes corpore triplo longiores: annulis apiceque albis.

† Tipula filipes *F.*

Fabr. Syst. Antl. 25. 8.

Alis fusco venosis hirta, pedibus longissimis fuscis.

Guinea.

Statura T. longipedis. Caput cinereum. Thorax cinereus, pilis densis hirtus. Abdomen breve, cinereum, segmentorum marginibus subflavis. Alae abdomine longiores, hyalinae: nervis fuscis. Pedes corpore triplo longiores, fusci, immaculati.

† Tipula tricolor *F.*

Fabr. Ent. syst. IV. 235. 9.

Alis albidis: margine exteriori nervoque apice bifido fuscis.
America borealis.

Statura praecedentis (oleraceae). Thorax obscure cinereus, basi pallidior.

† Tipula multipunctata *F.*

Fabr. Syst. Antl. 31. 39.

Pallens capite nigro, alis cinereis fusco punctatis.
America meridionalis.

Statura et magnitudo T. bifasciatae. Antennae desunt. Thorax et abdomen pallida, fere pellucida.

Alae pallidae punctis numerosis fuscis. Pedes longissimi, pallidi.

† Hirtea brunnipes *F.*

Fabr. Mantissa ins. II. 327. 69. Tipula rufipes.
Fabr. Ent. syst. IV. 250. 80. Tipula brunnipes.
Fabr. Syst. Antl. 54. 15.

Hirta atra pedibus ferrugineis: posticis elongatis.
Terra nova Americes.

Corpus hirtum, nigrum. Orbita oculorum ferruginea. Abdomen dorso plano. Pedes omnes ferruginei posticis elongatis femoribus clavatis tibiisque apice compressis. Alae obscurae.

Postquam sectio prima typis fuerit excusa, contigit mihi esse tam felici ut omnes species Fabricianas mihi adhuc invisas, (Hirtea brunnipede excepta) examini subiicere potuerim, de quibus nunc pauca addam.

Culex longipes v. s. pag. 36.

Hac de specie in Museo regio havniensi nil reliquum est nisi exemplar valde mutilatum, capite abdomineque carens. Thorax acu eum crassitie superante transfixus, fuscus videtur, violaceo aut chalybeo nitens, pleurae vero sunt flavidae. Alarum venae fusco-squamulosae. Pedes violacei; femora basi flavicantia; tarsorum anteriorum articuli 4 et 5 flavicantes, posticorum vero subnivei. Tarsi postici valde pilosi, fere villosi, pilis fuscis. Tibiae omnes vix ciliatae.

Culex ciliatus *F.* ♂. v. s. pag. 7. n. 4.
Culex molestus *mihi.*

Maris antennae fuscae; palpi flavicantes, articulus tertius paulo ultra apicem proboscidis prominens, articulus quintus (apicalis) fuscus. Thorax fusco-niger, tomento albido facile dehiscente vittatus.

Culex cingulatus v. s. pag. 36.

Ferrugineus, proboscide, palpis, tarsisque omnibus albo fasciatis. ♂.

Caput ferrugineo-flavicans; antennarum basis ferruginea, pili antennarum flavido-sericantes; proboscis apice nigro-fusca; palpi fusci basi articulorum alba. Thorax saturatissime ferrugineus, pleurae flavicantes. Abdomen detritum flavicans. Alae et pedes flavicantes; tibiae tomento fusco albidoque variae; tarsi fusci basi articulorum alba. Pedum anticorum sinister tantum adest isque tarso mutilatus, at satis apparet fascia alba in basi tarsi.

Culex fasciatus *F.* v. s. pag. 36.

Fuscus, palpis tarsisque niveo-fasciatis. Longit. lin. 2. ♂.

Caput fuscum, tubercula quibus insident antennae niveo micantia. (Antennae desunt). Proboscis ipsa omnino fusca; palporum articuli vero ima basi nivei. In thorace acu crassa transfixo vitta utrinque dilutior, certo situ niveo micans. Pleurae fuscae maculis aliquot niveis. Abdomen dilutius

fuscum. Alae limpidae, venis fusco-squamulatis. Pedes fusci certo situ flavido-sericantes. Basis ima articulorum tarsorum anteriorum nivea. Pedes postici desunt sed probabiliter anterioribus similes.

Tanypus pubicornis *mihi.*

Thorace schisticolore, abdomine pedibusque albis, his fusco-fasciatis, alis punctatis ♂.

Chironomus pubicornis F. v. s. pag. 37.

Antennae albidae. Caput fuscum. Thorax dilute schisticolor, pleurae et pectus fusca. Abdomen deest. Alae albidae, punctis fuscis, fascias obliquas quasi formantibus. Femora anteriora fusca, apice alba, postica ima basi tantum fusca; tibiae fasciis tribus, tarsi fasciis pluribus fuscis.


Polymera *mihi.*

Antennae 28-articulatae: articulus primus globosus, secundus cylindricus elongatus, basis articulorum sequentium multo breviorum pilis verticillatis.

Pedes longissimi.

Habitus Limnobiae.

Nomen a πολὺς multum et μέρος pars.



Chironomus hirticornis *F.* vide supra p. 37.

A Chironomis longe aliena; pedibus, alis, sutura thoracis transversa ad familiam Tipulariarum pertinens, Limnobiis proxima. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$ ♂.

Antennae fuscae articulo primo basique secundi flavidis. Setae verticillatae, a basi articulorum sequentium oriundae, laterales longiores, superiores et inferiores breviores. Os ferrugineo-flavicans; de palpis in unico exemplare nil certi definiri potest. Thorax antice ferrugineo-flavicans, vittis tribus brunneis, media longiore, postice mox confluentibus, sutura transversa distinctissima. Pleurae brunneae antice flavidae. Abdomen brunneum (casu compressum) incisuris flavicantibus, ultima excepta, ano ferrugineo. Venter basi apiceque brunneus, medio ferrugineo-flavicans. Alarum basis ultra primas venulas connectentes flavido-limpida; fascia pone medium

modice lata; ante hanc fasciam sub area costali macula flavido-limpida; alarum margo internus pilis ciliatus, venae pilis minimis munitae, halteres flavidi. Pedes fuscani, femora apice fascia flava, antici corpore triplo longiores; tibiae calcaratae.

Maekistocera.

Antennae longissimae decem-articulatae: articulus 1. cylindricus crassus; 2 cyathiformis; sequentes octo cylindrici, filiformes, longitudine versus apicem crescentes.

Palpi articulis quatuor subaequalibus.

Ocelli nulli.

Alae divaricatae lanceolatae, venis Tipulis similes.

Nomen a *μήκιςτος* longissimus et *κεραχς* cornu.

Iam altera species Tipulariarum innotuit, antennis longissimis praedita, Nematocerae fuscanae v. s. pag. 29 admodum similis, itaque haud longius haerendum est de novo genere constituendo; erit Nematocera fuscana illa: *Maekistocera fuscana*; speciem alteram invenimus sub nomine Tipulae filipedis F. v. s. pag. 29.

Maekistocera filipes *mihi.*

Thorace ex helvo fuscano, hirto; abdomine ferruginoso vittis lateralibus fuscis. Longit. lin. 5. ♀. Guinea.

Antennarum articuli 1. 2. flavidi, 3. sensim fuscescens ceteri fusci. Caput subhelvum, vitta occipitali fuscana. Thorax subhelvus vittis tribus obsoletis rubidis, lateralibus antice abbreviatis, media in scutellum continuata; pleurae parum albicantes. Abdomen dilute ferrugineum vitta utrinque fusca, incisuris primis dilute flavicantibus. Alae abdomen longitudine dimidio superantes flavido-sublimpidae, area costali haud saturatiore, stigmate fuscano. Pedes fusci femoribus dilutioribus; tarsi longissimi; femora et tibiae aequalia, tarsis breviora. Fabricium antennas pro pedibus habuisse e silentio de enormi longitudine antennarum prodire videtur.

Tipula longipes *F.* v. s. pag. 37.

Gracillima, fuscana; pedibus longissimis fuscis, fasciis apiceque albis. Longit. lin. 11. ♀.

Caput canescens, occiput macula late obcordata fusca; palpi et antennarum basis (flagellum deest) dilute flavicantes

Thorax ochraceo-fuscanus lineis tribus obsoletis dilutioribus, lateribus dilutissime flavicantibus; pleurae flavicantes, vitta fuscana. Abdomen fuscanum apicem versus saturatius fuscum; segmentum 1. utrinque maculis duabus flavidis, quarum anteriores in fasciam coeunt; 2. basi, fascia pone medium et apice minus flavidis; 3. fascia angustissima pone medium flavida, reliqua macula utrinque pone medium flavida. Alae abdominis dimidium longitudine parum superantes, flavicantes, area costali multo saturatiore, stigmate fuscano, venis fuscis, connectentibus fuscano-limbatis. Pedes antici fusci, femora apicem versus fascia obsoleta flavida; tibiae basi et fascia latiore ante apicem albis; tarsorum articulus 1. medio late albus, cetera omnino albidi. Pedes medii desunt; postici femoribus fuscanis, tibiis fuscis ante apicem late albis; tarsi ima basi articuli primi fusci, ceterum omnino albi, versus apicem extremum parum fuscani.

Limnobia multipunctata *mihi.*

Thorace ferrugineo, limbo abdomineque flavicante, alis fusco-punctatis. Longit. lin. $2\frac{1}{4}$ ♂.

Tipula multipunctata F. v. s. pag. 38.

Caput nigrum, antennarum articuli duo (ceteri desunt) fusci; palpi dilutissime flavicantes. Thorax saturatissime ferrugineus, limbo pallide flavicante; pleurae pallide flavicantes, vitta distinctissima fusca; scutellum pallide flavicans, metathorax vitta fusca. Abdomen pallide flavicans utrinque fusco-vittatum. Alae parum flavicantes punctis aliquot minimis et quinque maioribus 1. in basi, 2. versus marginem internum haud procul a basi, 3. in origine venae secundae, 4. maximum in disco versus apicem, 5. ad costam, apice propius ubi vena subcostalis cum proxima connexa est venula transversa. Pedes flavidi. Alarum venae sicut Meig. tab. 4. fig. 18.

Supplementum ad sectionem I.

1. Culex taeniorhynchus *mihi.*

Fuscus, fascia media proboscidis articulorumque tarsorum basi albis. Longit. lin. 2½. fem. Mexico.

Proboscis fusco-nigra, fascia lata alba. Antennae nigro-fuscae; palpi nigro-fusci apice albi. Thorax nigro-fuscus, pleuris paulo dilutoribus. Abdomen nigro-fuscum, incisuris albicantibus. Alae limpidae fusco-squamulosae. Femora flavicantia; tibiae et tarsi nigro-fusca; horum singuli articuli basi albi. Mus. de Winthem et nostrum.

2. Culex posticatus *mihi.*

Fuscus, chalybeo-nitens; tarsis posticis nigro-ciliatis, apice albis. Longit. lin. 2½. fem. Mexico.

Antennae, proboscis, palpi fusca; certo situ obscure chalybeo-nitentia; caput flavicans. Thorax detritus fuscus, parum chalybeo-nitens; abdomen distinctius chalybeum; venter incisuris late albidis. Alae fusco-squamulosae; halteres flavicantes. Pedes chalybei; femora usque ad apicem fere flavicantia; tibiarum posticarum apex et tarsi supra et infra ciliati, pilis nigro-fuscis, certo situ chalybescentibus; tarsi postici apice late albi. Mus. de Winthem.

3. Limnobia flavithorax *mihi.*

Atra, thorace melleo, alis infumatis. Longit. lin. 5. fem. America mer.

Omnino atra, thorace usque ad pleuras excepto, qui saturate melleus est; pectus atrum, halteres atri. Alarum venae sicuti Meig. tab. 6. fig. 6: color saturate infumatus stigmate marigineque externo ad apicem usque fuscis. Mus. n.

4. Tipula breviventris *mihi.*

Ochracea, thorace trivittato, pedibus longissimis fuscis, ibiis basi albis. Longit. lin. 7, usque ad alarum apicem lin. 10½. fem. Amer.

Caput cum palpis et antennis dilutissime flavicans; occiput maculis duabus obliquis fuscis. Thoracis color fundamentalis flavicans, vittis tribus usque in metathoracem continuatis, haud interruptis ochraceis, media antice fissa. Pleurae maculis fuscis, postice parum albicantes, pallescentes. Abdomen ochraceum incisuris flavidis; venter flavidus vitta interrupta fusca. Alae flavidae, area costali mellea, spatio inter furculam apicalem albicante, venis stigmateque fuscis. Pedes longissimi, tenuissimi, fusci, tibiis omnibus ima basi albis. Mus. nostr.

5. Polymera fusca *mihi.*

Fusca, alis flavido-limpidis, tarsis apice albis. Longit. lin. 5. fem. Brasilia.

Specimen nostrum mutilatum quidem et corrugatum, pedibus, (sinistro antico et parte medii exceptis) carens; alis vero et antennis integerrimum, ut de genere nullum sit dubium. Color ubique fuscus; tarsi apex albus; an in omnibus pedibus? Numerus articulorum ex antennis siccatis aegre enucleandus, at minor certe quam in maribus. In delineatione nimis rudi p. 40. omissae sunt: vena cubitalis *Latr.* et venula connectens inter venam secundam et ramum externum furculae apicalis primae; furcula media minima vix recognoscenda.

6. Sciara fulviventris *mihi.*

Nigra, abdominis basi fulvo-hirta. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. fem. America.

Nigra, parum nitens. Abdominis segmenta 1–4. brunnea, fulvo-hirta; segmentum 5. fuscum, reliqua nigra. Alae nigricantes; halteres et pedes nigri. Mus. de Winthem et nostrum.

7. Sciara nigra *mihi.*

Nigra, antennis solis certo situ canescentibus. Longit. lin $2\frac{1}{3}$. mas. Savannah.

Omnino nigra; nulla corporis totius pars nisi antennae alium colorem certo situ induens. Mus. Westerm.

Dipterorum exoticorum

Sectio II.

Antennis parumarticulatis.

Sectio II. Antennis parumarticulatis.

Dispositio Generum.

Familia II. *Xylophagi.*

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae: articulo tertio octannulato. Proboscis retracta, capitulo tantum prominente. Ocelli tres. Abdomen segmentis octo. Halteres nudi. Alae incumbentes parallelae. Tarsi onychiis tribus.

42. *Beris:* Scutellum quadrispinosum.
43. *Xylophagus:* Scutellum inerme.
44. *Coenomyia* (Sic. F.): Scutellum bispinosum.

Familia III. *Tabanii.*

Antennae porrectae, basi approximatae; aut triarticulatae: articulo tertio quadri-vel octannulato; aut sexarticulatae. Proboscis et palpi prominentes. Abdomen segmentis septem. Halteres semitecti. Alae divaricatae aut tectiformes. Tarsi onychiis tribus.

a) Antennis triarticulatis.

45. *Pangonia:* Antennarum articulus tertius octannulatus. Ocelli tres aut nulli. Haustellum porrectum elongatum.

46. *Rhinomyza:* Haustellum porrectum adscendens elongatum. Antennarum articulus tertius recurvus basi supra unidentatus. Ocelli tres.

47. *Raphiorhynchus:* Proboscis retracta capitulo parvo compresso. Palpi basi approximati articulo apicali crasso subfusiformi apice incurvo. Ocelli tres.

48. *Acanthomera:* Palpi porrecti, graciles, biarticulati, articulis aequalibus. Ocelli 3.

49. *Silvius:* Antennarum articulus primus cylindricus, secundus cyathiformis, tertius 5annulatus. Ocelli tres.

50. *Tabanus:* Antennarum articulus tertius quinquannulatus, ad basin emarginatus. Ocelli nulli.

51. *Chrysops:* Antennarum articuli 1. et 2. aequales, cylindrici, 3. quinquannulatus. Ocelli tres.

52. *Haematopota:* Antennarum articulus tertius quadrannulatus. Ocelli nulli.

b) Antennis sexarticulatis.

53. *Hexatoma* (Heptatoma olim.)

Familia IV. *Leptides.*

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae: articulus tertius haud annulatus. Proboscis et palpi prominentes. Ocelli tres. Abdomen septannulatum. Halteres nudi. Onychii tres.

54. *Leptis:* Antennarum articulus tertius conicus, seta terminali. Ocelli tres in vertice.

55. *Atherix:* Antennarum articulus tertius ovalis, seta dorsali.

56. *Clinocera:* Antennarum articulus tertius conicus, seta terminali. Ocelli tres in fronte *).

*) Hoc genus ad interim hunc locum tenet, alium forsan obtinebit post uberiorem indagationem.

Familia V. *Xylotomae.*

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae: articulus tertius haud annulatus. Proboscis occulta. Ocelli tres. Abdomen septannulatum, conicum. Halteres nudi. Alae divaricatae. Tarsi onychiis duobus.

57. *Thereva* (Bibio F.): Articulus antennarum secundus minimus.

58. *Chiromyza:* Antennarum articulus secundus primo haud minor.

Familia VI. *Mydasii.*

Antennae porrectae, basi approximatae, quinquarticulatae, articulis inaequalibus ultimo clavato.

59. *Mydas.*

Familia VII. *Bombyliarii,*

Antennae porrectae, triarticulatae, articulo tertio haud annulato. Hypostoma imberbe *). Frons plana. Proboscis retracta, aut plus minus porrecta. Ocelli tres. Abdomen septannulatum, cylindricum aut ellipticum. Alae expansae. Halteres nudi.

60. *Stygia:* Antennae approximatae: articulo primo antice incrassato, tertio stylo terminali. Proboscis occulta.

61. *Anthrax:* Antennae remotae: articulo primo cylindrico. Proboscis retracta aut parum prominens. Oculi reniformes.

---

*) Corsomyza sola barbata.

62. *Tomomyza:* Antennae parum remotae: articulo tertio subulato extrorsum directo; proboscis vix prominens.

63. *Xestomyza:* Antennae parum approximatae, elongatae articulo primo subfusiformi, secundo cyathiformi, tertio fusiformi acuminato. Alae expansae.

64. *Apatomyza:* Antennae approximatae: articulo primo cylindrico, elongato, secundo minutissimo, tertio compresso-subulato. Proboscis porrecta.

65. *Hirmoneura:* Antennarum articuli subglobosi: tertio stylo terminali elongato. Ocellus anterior a duobus posterioribus remotus. Proboscis occulta.

66. *Fallenia:* Antennarum articuli subglobosi: tertio stylo terminali. Proboscis elongata sub abdomen reflectenda.

67. *Nemestrina:* Antennae remotae, quinquarticulatae. Proboscis elongata.

68. *Mulio* (Cythera F.): Antennae remotae. Proboscis horizontaliter porrecta. Oculi elliptici.

69. *Corsomyza:* Antennae approximatae, articulo tertio primis duobus duplo longiore, compresso, apice dilatato.

70. *Bombylius:* Antennae approximatae: articulo tertio compresso. Proboscis horizontaliter porrecta, longa. Abdomen ovale. Corpus pilosum.

71. *Amictus:* Antennae approximatae: articulo primo et tertio longitudine aequalibus. Abdomen elongatum.

72. *Thlipsomyza:* Antennae approximatae: articulo primo et tertio longitudine aequalibus, tertio subulato spinula apicali. Proboscis longa porrecta. Abdomen compressum incurvum.

73. *Phthiria:* Antennae approximatae: articulo tertio fusiformi, compresso. Proboscis porrecta capite longior. Corpus tenuiter pilosum. Abdomen cylindricum aut depressum.

74. *Geron:* Antennae approximatae: articulo tertio subulato. Proboscis horizontaliter porrecta, capite longior.

75. *Usia* (Volucella F.): Antennae approximatae: articulo tertio fusiformi obtuso. Proboscis horizontaliter porrecta. Corpus pilosum.

76. *Ploas:* Antennae porrectae: articulo primo crassissimo, conico. Proboscis horizontaliter porrecta; longitudine capitis.

77. *Cyllenia:* Antennae approximatae: articulo primo cylindrico tertio conico. Proboscis horizontaliter porrecta, longitudine capitis.

78. *Toxophora:* Antennae approximatae: cylindricae: articulo tertio subulato. Proboscis porrecta sursum flexa.

Familia VIII. *Asilici.*

Antennae porrectae, basi approximatae, sursum directae, triarticulatae: articulo tertio haud annulato. Hypostoma mystace munitum. Frons impressa. Proboscis horizontaliter porreeta brevis. Abdomen septannulatum. Halteres nudi. Alae incumbentes.

a) Tarsi onychiis duobus.

79. *Dioctria:* Antennarum articulus tertius stylo terminali obtuso biarticulato. Tibiae posticae rectae, interne ciliatae.

80 *Dasypogon:* Antennarum articulus tertius, stylo terminali brevissimo. Tibiae rectae non ciliatae. Anus feminarum stylo acuto.

81. *Laphria:* Antennarum articulus tertius obtusus absque stylo terminali. Tibiae incurvae.

82. *Asilus:* Antennarum articulus tertius stylo terminali. Tibiae rectae, spinosae.

b) Tarsi absque onychiis.

83. *Leptogaster.*

Familia IX. *Hybotinae.*

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae; articulis 1. et 2. quasi coalitis; 3. haud annulato. Hypostoma imberbe, planum. Frons plana. Proboscis horizontaliter porrecta, brevis. Thorax gibbus, Abdomen gracile, septannulatum. Halteres nudi. Alae incumbentes.

84. *Hybos:* Antennarum articulus tertius conicus, seta terminali tenuissima. Femora postica clavata.

85. *Ocydromia:* Antennarum articulus tertius lenticularis, seta terminali. Pedes simplices.

86. *Oedalea:* Antennarum articulus tertius elongatus, compressus absque seta terminali. Femora postica clavata.

XYLOPHAGUS.

Antennae porrectae, triarticulatae, articulo secundo cyathiformi; articulo tertio elongato, octannulato.

Proboscis retracta.

Scutellum inerme.

Alae parallelae incumbentes.

Xylophagus americanus *mihi.*

Thorace flavo, nigro-maculato; abdomine rufo, incisuris flavis. Longit. lin. 5. ♂. Amer. bor.

Antennae nigrae. Palpi et proboscis flavicante-alba. Hypostoma et frons canescentia. Thorax sulphurinus vitta lata, nigra et maculis utrinque duabus nigris, quarum posterior cum vitta cohaeret; scutellum nigrum apice flavum; metathorax niger; pleurae flavae fasciis duabus nigro-fuscis. Abdomen rufum; segmentum 1. medio nigrum lateribus flavum; 2. et 3. rufa incisuris flavidis et linea transversali nigra ante marginem posticum; reliqua segmenta rufa incisuris flavidis. Venter rufus incisuris flavis. Alae limpidae vix flavicantes; halteres vix rufescentes. Coxae et femora flava apice rufa; femora postica dimidio apicali rufa; tibiae rufae, anticae dilutissime flavae; tarsi antici fusco-nigri ima basi flavicantes, medii parum rufescentes; postici dilute flavidi. Mus. n.

COENOMYIA *Latr.*

De Coenomyiis (Sicus F.) exoticis nil certi constat. Sicus crucis F. idem est qui S. errans F. Sicum testaceum F. non vidimus.

PANGONIA.

Antennae porrectae triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; elongato, subulato, octannulato.

Proboscis elongata, exserta.

Alae divaricatae. Palpi basi proboscidis utrinque inserti breves, biarticulati; articulo 1. cylindrico, 2. brevi, conico.

* Ocellis tribus.

1. Pangonia venosa *mihi.*

Thorace fusco, abdomine nigro, alis sublimpidis venis fusco-limbatis. Longit. lin. 10. ♀. Brasilia.

Haustellum longitudine linearum 4½, nigrum; palpi fusci; antennae fusco-nigrae; hypostoma et frons fusca; a vertice linea parum elevata in frontem decurrit. Thorax fuliginoso-fuscus, nigro hirtus, absque nitore, pleurae pariter; scutellum fusco-nigrum. Abdomen nigrum, nitens, pilis nigris; venter pariter. Alarum venae distincte fusco-limbatae; halteres fusci. Pedes nigri. Mus. reg. Havn.

2. Pangonia fulvithorax *mihi.*

Thorace anoque fulvo-hirtis; abdomine nigro; alis infumatis. Longit. lin. 8. ♂. Brasilia.

Haustellum longitudine lin. 4. Palpi et hypostoma fusca. Antennarum basis nigra, articulus apicalis ochraceus. Thoracis et scutelli color fundamentalis fuscanus, hirsutie fulva obtectus; pleurae fuscae nigro-pilosae. Abdomen badio-nigrum, segmentum tertium utrinque et in margine postico, quartum quintum et anus fere tota pilis fulvis obsita; venter et pedes nigri. Alae aequaliter infumatae. Mus. reg. Havn.

3. Pangonia Winthemii *mihi.*

Thorace brasiliano; abdomine badio, albo-fasciato; alis fuscanis. Longit. lin. 6. ♀. Brasilia.

Wied. zool. Magaz. III. 44. No. 5.

Antennae ferrugineae; palpi paulo saturatiores; barba flavicans; frons fuscana. Thorax flavido-brasilianus, lineis duabus obsoletis flavicantibus; pleurae ochraceo-villosae. Abdomen vivax badium, certo situ pilis tenuissimis canescens; incisurae 2. 5. 6. anguste albae a pilis, qui et in ventre fascias componunt. In segmenti primi superficie vestigia relicta sunt fasciae parum flavicantis. Alae aequaliter fuscanae; halteres ochracei capitulo albo. Pedes ochracei. Mus. n.

4. Pangonia amboinensis F.

Fusca, thorace albido-lineato; abdomine maculis lateralibus incisurisque ferruginosis, ventre helvo. Longit. lin. 6. ♀. Amboina.

Fabr. Syst. Antl. 91. 7. Pang. amboinensis: thorace sublineato, abdomine supra fusco: segmentorum marginibus testaceis, subtus albo.

Caput cinereo villosum, antennis ferrugineis verticeque fusco. Thorax fuscus, albo sublineatus. Abdomen supra fuscum, segmentorum marginibus testaceis. Corpus subtus pallidum, pedibus testaceis.

Antennae et palpi ferruginea; hypostoma helvum; barba albida. Thorax flavicante hirtus; pleurae glaucae. Abdominis maculae laterales in segmentis 1-3; reliquorum margines laterales etiam ferruginosi; incisurae pilis flavis obsitae. Alae fusco-cinerascentes. Mus. Fabr.

5. Pangonia barbata *mihi.*

Nigra, albido-hirta, thorace quinque-vittato, abdomine fasciato. Longit. lin. 5. ♀. Prom. bon. sp.

Linn. Mus. Lud. Ulr. 422. 2. Tabanus barbatus: oculis nigris, rostro corpore dimidio breviore.

Corpus facie Muscae nemorum s. arbustorum. Caput et thorax pallescente s. subgrisea pube. Abdomen ovatum supra nigricans marginibus incisurarum albidis; at duo prima segmenta lateribus subtestacea, uti et haec tota subtus. Alae hyalinae venosae. Pedes nigricantes.

Linn. Syst. Nat. I. 999. 2. Tab. barbatus.
Wied. zool. Mag. III. 7. No. 10.

Antennae nigrae, hypostoma rubidum, albo-hirtum; frons infra rubida, supra nigra. Thorax vittis tribus mediis angustioribus, duabus exterioribus latioribus flavido-albis. Abdomen fasciis 7. leviter sinuatis albidis, vel in detritis speciminibus conspicuis; segmenta 2. 3. in nonnullis utrinque ferruginosa. Alae venis fuscis, connectentibus fusco-limbatis; halteres flavicantes. Pedes rubidi, nonnullis nigricantes. Mus. n.

** Ocellis nullis (Genus Philoliche Hgg.)

6. Pangonia rostrata *mihi.*

Schistacea, thorace nigro-vittato, abdominis basi utrinque subtestacea; haustello corpore longiore. Longit. lin. 8. ♀. Prom. bon. sp.

Linn. Mus. Lud. Ulr. 421. 1. Tabanus rostratus: oculis fuscescentibus, rostro longitudine corporis.

Corpus magnitudine et facie T. bovini. Caput fronte albicante. Oculi fusci. Thorax fuscus, pallidiore colore striatus. Pectus pubescens albicans. Abdomen ovatum depressum fuscum, incisurarum marginibus pubescentibus albidis; subtus nonnihil testaceum. Pedes fusci. Alae hyalinae, subfuscescentes.

Linn. Syst. Nat. II. 999. 1. Tab. rostratus.

Degeer Insect. VI. Tab. XXX. fig. 9. Bombylius tabaniformis griseus: griseo-niger; fronte conica grisea; rostro longitudine corporis; abdomine fasciis griseis.

Fabr. Spec. Ins. II. 455. 1. Tabanus rostratus: oculis fuscescentibus, haustello longitudine corporis. Hau-

stellum valde porrectum, forte proprii generis. Abdominis segmenta apice cinereo pubescentia.

Fabr. Ent. syst. IV. 362. 1. Tab. rostratus: oculis etc.

Haustellum valde porrectum. Abdominis segmenta apice cinereo pubescentia.

Fabr. Syst. Antl. 89. 1. Pangonia lineata: obscura thorace lineato, haustello corpore longiore.

Antennae nigrae; hypostoma canescens; barba alba; frons infra canescens, supra vittis duabus fuscis abbreviatis. Thorax schistaceus, vittis 5 fusco-nigris, quarum media linea longitudinali albida saepius divisa est; hae et laterales internae postice abbreviatae, laterales externae latiores, medio interruptae; pleurae albo-hirtae. Abdomen maculis mediis triangularibus segmentorumque marginibus posticis albo-hirtis. Alae cinerascentes, venis connectentibus fuscano-limbatis. Pedes nigri geniculis ochraceis. Mus. Fabr. et n.

7. Pangonia angulata F.

Atra; abdominis segmentis 2. et 4. margine toto, reliquis latere albis. Longit. lin. 6-$7\frac{1}{2}$, ♂. ♀. Prom. bon. sp.

Fabr. Syst. Antl. 91. 5. Pang. angulata: atra abdominis segmento secundo margine albo.

Statura et magnitudo praecedentium (P. lateralis.) Setae longitudine fere vaginae valvulae inferioris. Caput cinereo pubescens antennis atris. Thorax niger, sublineatus. Abdomen atrum segmento secundo margine toto albo, 4. 5. 6. margine interrupto albo.

Antennae nigrae; barba alba; hypostoma et frons albo-micantia, haec macula fusca. Thorax vittis 4 linearibus albidis, flavicante-hirtus. Pleurae albo-villosae, macula nigra. Abdominis fascia 1. antice flexuosa; segmentum 3. macula media triangulari et lateralibus transversis linearibus; segmentum 4. fascia antice sinuata, ita ut fere sit bis interrupta; reliqua segmenta utrinque macula transversa; hae ma-

culae et fasciae e pilis niveis conflatae, facile deterendae. Alae fusco-cinerascentes; halteres nigri. Pedes nigri. Mus. n.

8. Pangonia melanopyga *mihi.*

Nigra; abdomine rubro, basi anoque nigris; humeris puncto albo. Longit. lin. 7. ♂. Promont. bon. sp.

Wied. Magaz. III. 31. No. 46.

Tota fere nigra; eminentia communis pro antennis parum cano-micans; anguli thoracis postici parum rubidi. Abdominis segmentum 1. totum nigrum; 2. et 3. rubra, inter saturate testaceum et hyacinthi colorem; 4. medio nigrum, quod basin non penitus attingit, et latitudinis duos quadrantes occupat; 5. medio usque ad basin nigrum; 6. nigrum macula parva utrinque rubra; in ventre pictura eadem, addita vitta media nigra segmentorum 2. 3. Alae nigrae. Mus. reg.

9. Pangonia lateralis F.

Nigra, thorace albido-vittato; abdominis basi fulva maculis mediis nigris, apice nigro fascia alba. Longit. lin. 6. ♂. Prom. bon. sp.

Degeer VI. Tab. 30. fig. 11. Bombylius tabaniformis rufus: fronte conica grisea; rostro longitudine thoracis; abdomine rufo; fasciis binis albis apiceque nigro. (Citatum ex Linneo huc non pertinet.)

Fabr. Syst. Antl. 91. 4. Pang. lateralis; thorace lineato, abdominis basi laterali segmentorumque marginibus fulvis.

Statura et magnitudo praecedentis (P. maculatae.) Haustellum elongatum, longitudine dimidii corporis. Antennae nigrae: articulo ultimo recurvo, longiori, subulato. Thorax obscure cinereus: lineis 4. obsoletis, albis. Abdomen nigrum primo secundoque segmento lateribus margineque, reliquis margine ferrugineis. Alae obscurae, haud maculatae. Pedes ferruginei.

Antennarum articuli apicalis basis ferruginea; barba alba; hypostoma albo-hirtum; frons et occiput flavicante-hirta. Thorax fusco-niger, vittis 4. lineaque media albidis obsoletis, pube flavicante obtectus; pleurae flavicante-hirtae. Abdominis segmenta tria anteriora lateribus ferruginosa, ita ut macula media nigra tantum supersit, segmenti secundi apex macula media et utrinque laterali albidis, in ventre totus albus; quarti segmenti apex fascia alba; sequentium apex utrinque tantum albus. Alae cinerascentes, ad costam fuscanae, basis ubi stethidio inseritur macula alba. Pedes ochracei. Mus. reg. et n.

10. Pangonia spiloptera *mihi.*

Nigra; flavicante-hirta, abdominis basi olivacea, incisuris fulvo-hirtis; alis macula apicali fusca. Longit. lin. 7. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae, articulus tertius rubiginosus; barba flavicans; hypostoma nigrum flavido-hirtum; frons fulvo-hirta. Thorax absque vittis. Abdominis segmenta 1. 2. tota fulvo-hirta, 2. incisura utrinque parum tumida et albicante hirta; reliqua segmenta nigra, nigro-pubescentia, incisuris fulvo- ad anum rufo-hirtis; venter niger incisuris anterioribus albido-posterioribus tribus rufo-hirtis. Alae limpidae, macula ad marginem apicis externum fusca; venae fuscano-limbatae tertia excepta; halteres nigri. Pedes nigri; tibiae posteriores totae fere ferrugineo-flavicantes apice excepto; tarsorum basis flavicans. Mus. Westermanni.

11. Pangonia analis F.

Nigro-fusca; abdomine apice fulvo, haustello longitudine corporis. Longit. lin 6. ♀. America merid.

Fabr. Syst. Antl. 91. 6. Pang. analis: nigra, abdomine apice fulvo, haustello longitudine corporis.

Caput nigrum haustello valde porrecto. Antennae ferrugineae. Thorax villosus, niger, immaculatus. Abdomen basi nigrum, apice fulvum. Alae albae. Pedes flavi, femoribus hirtis nigris.

Color saturatissime fuscus. Alae limpidae.

12. Pangonia bifasciata *mihi.*

Thorace glaucescente, abdomine nigro fasciis duabus albis, basi utrinque incisurisque ochrascentibus. Longit. lin. 5. ♀. Prom. bon. sp.

Affinis P. laterali. Antennae rubigineo-fuscae; hypostoma brunneum, albo-hirtum; barba albida; frons flavicans, medio fusca. Thorax glaucus, flavicante pubescens, vittis quatuor linearibus, linea media suturaque utrinque albidis; supra alarum basin punctum albo-pilosum, aliud simile ante basin in pleuris. Abdominis segmentum 1 et 2 utrinque ferrugineo-ochrascens; fascia prima in apice segmenti 2. secunda in apice segmenti 4. latera segmentorum 5 – 7 quoque albo parum pilosa; ceterum abdomen pilis tenuissimis fulvis obsitum. Alae parum infumatae, imprimis circa venas connectentes medias; squamae flavicantes; halteres fusci. Pedes ochracei. Mus. de Winthem.

13. Pangonia atricornis *mihi.*

Nigra, thorace albido-vittato; abdomine incisuris albidis; pedibus nigris. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♀. Promont. bon. sp.

Antennae atrae; hypostoma albidum utrinque nigrum, albido-hirtum; barba alba; frons infra albo-supra nigro-hirta. Thorax niger vittis 4 obsoletis suturaque albidis, flavicante hirtus pilis nigris interspersis. Abdomen totum nigrum, incisuris albidis et pilis tenuibus fulvis. Alae parum infumatae, area costali flavicante; halteres fusci capitulo albo. Mus. de Winthem.

RHINOMYZA *mihi.*

Proboscis porrecta, adscendens, longa. Palpi basi proboscidis inserti, triarticulati: articulo 1. brevissimo; 2. longiore; 3. secundo haud multo longiori.

Antennae triarticulatae. 1. cylindrico breviusculo, cyathiformi, 3. elongato paulum recurvo, basi supra unidentato.

Oculi maximi, mare contigui ut vix spatium remaneat pro ocellis tribus.

Alae et habitus Tabanorum.

Rhinomyza fusca *mihi.*

Fusca; abdominis basi et medio ferrugineis; alis fuscis, maculis duabus flavicantibus. Longit. lin. 6. ♀. Iava.

Wiedemann Nova Dipterorum genera p. 8.

Antennae nigrae; hypostoma flavido-fuscanum impressum. Thorax fuscus glabriusculus fusco-pubescens; pleurae macula flava. Abdominis segmentum 1. ferrugineum, medio parum fuscanum; 2. saturate fuscum, basi anguste albidum; 3. 4. medio ferruginea, lateribus et margine apicali fusca; reliqua fusco-nigra. Alae ima basi, macula media alteraque apicali minore, flavicantibus. Squamae nigro-fuscae ciliis fuscanis; halteres fuscani capitulo flavo; Pedes nigro-fusci. Mus. Westermanni.

RHAPHIORHYNCHUS *mihi.*

Antennae approximatae, porrectae: articulo 1. perbrevi, subcylindrico; 2. brevissimo cyathiformi, 3?

Palpi exserti, basi approximati, apice divergentes, biarticulati, articulo 1. brevissimo, 2. quadruplo longiore, crasso, subfusiformi apice paulum incurvo.

Hypostoma formans processum subulatum, acutum, apice oblique deorsum directum.

Proboscis retracta, capitulo parvo compresso inter palporum basin conspicuo.

Ocelli tres. Alae divaricatae.

Habitus Tabani, at abdomen planum.

Nomen a ῥαφιον subula.

Rhaphiorhynchus planiventris *mihi.*

Thorace obscure lilacino, vittato; abdomine ferrugineo, fusco-limbato. Longit. lin. 13. ♀. Brasilia. Tab. II. fig. 1.

Antennae fusco-nigrae; articulus tertius deest. Processus hypostomatis rugosus, fuscus. Thoracis vittae tres fuscae, media linearis; humeri in apicem obtusum protracti; scutellum mediocre, fuscum. Abdomen planum quadrannulatum, marginibus lateralibus convexis, ardentissime ferrugineum, utrinque anguste fusco-limbatum; in segmentorum 2. et 3. margine postico utrinque punctum albicans. Venter lutescens. Alae flavicantes; halteres flavo-albicantes. Femora brunnea; tibiae flavae; tarsi desunt. Mus. n.

ACANTHOMERA *mihi.*

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico, perbrevi, 2. cyathiformi, 3?

Palpi exserti, ad faciem capitis anterio-

rem usque horizontaliter porrecti, biarticulati, articulis longitudine aequalibus, pilosis, 1. cylindrico, 2. subulato.

Proboscis retracta, parva.

Hypostoma utrinque sulco profundo, medio tuberculo conico.

Ocelli tres. Alae divaricatae.

Femora postica subtus unispinosa.

Nomen ab ἄκανθα spina et μηρὸς femur.

Acanthomera picta *mihi.*

Thorace canescente, abdomine nigro, punctis utrinque binis albis; alis fuscano-variegatis. Longit. lin. 13. ♂. Brasilia. Tab. II. fig. 2.

Antennae et palpi fuscana. Thorax griseo-canescens, certo situ albo-micans; scutellum fusco-nigrum, lateribus albidis; pleurae nigro-fuscae; pectoris medium dilute fuscanum. Abdomen nigrum, sexannulatum, planiusculum, marginibus lateralibus segmentorum 4. anteriorum paulo convexum, segmenti 5. 6. sensim angustatum, apice segmenti 2. et 3. utrinque puncto transverso albo notatum. Venter fuscus, sicuti dorsum albo-notatus. Alae fuscanae venis flavido-limbatis; halteres flavicantes, capitulo fuscano. Femora brunnea, postica elongata, spina in triente posteriore, brevi et retrorsum directa; tibiae flavae, ima basi et apice brunneae, anticae in superficie anteriore omnino brunneae; tarsi flavi, posteriorum articulus 1. plusquam dimidium totae longitudinis tenens. Mus. n.

TABANUS.

Antennae porrectae, approximatae, triarticulatae: articulo primo cylindrico; secun-

do cyathiformi, tertio compresso, exciso, quinquannulato.

Ocelli nulli.

Palpi exserti, maris capitati, feminae subulati.

Alae divaricatae.

1. Tabanus ruficornis F.

Obscure coccinelleus; abdomine utrinque maculis transversis albis; alis sublimpidis costa fusca. Longit. lin. 12. ♀. America.

Fabr. Syst. Ent. 789. 8. Tab. ruficornis: oculis . . .; alis albis: costa fusca; antennis rufis.

Corpus magnitudine T. bovini. Caput vellere cinereo tectum. Thorax niger, [piceus Ent. syst.] immaculatus. Abdomen nigrum, segmentorum marginibus [supra coeruleis] subtus albis. Alae hyalinae costa exteriori fusca. Antennae rufae. Pedes fusci [femoribus rufis].

Fabr. Ent. syst. IV. 365. 14. Tab. ruficorn. oculis fasciatis etc.

Drury Ins. I. tab. 44. f. 2. Tab. plumbeus.

Forst. Nov. spec. Cent. I. 100. Tab. americanus.

Palisot de Beauvois Ins. recueillis en Afrique et en Amer. p. 54. Tab. I. fig. 2. Tab. limbatus: Corpus rufo-fuscum, subtus villosum. Os, proboscis, pedesque pallidiores. Antennae luteae, apice fuscae; segmentorum margines albicantes. Alarum costae exteriores fuscae.

Antennae ferrugineae; barba flavo-albida; hypostoma canum; frons infra flavo-albicans, supra saturatius flava, post levem detritionem canescens, vitta glabrata coccinellea infra in callum subrotundum dilatata, qui ante detritionem lineolam tantum glabratam sursum emittit. Thorax et scutellum cano-pruinosa, colore fundamentali coccinelleo. Pleurae et pectus dilutissime flavido-hirta. Abdomen coccinelleum, incisuris parum canescentibus, utrinque maculis transversis angustis albo-pilosis, in

speciminibus intactis verosimiliter fascias formantibus, iis similes quae ventris incisuras occupant, medio angustiores. Alarum basis, cellula mediastina et cubitalis flavido-fuscae Pedes badii, tibiis obscurioribus, tarsis fuscis; tarsi antici in ochraceum migrant. Mus. Fabr.

2. Tabanus atratus F.

Niger, abdomine canescente, alis fusco-nigris. Longit. lin. 11. ♂. ♀. Amer. bor.

Fabr. Syst. Ent. 789. 9. Tab. atratus: abdomine coerulescente alis atris.

Statura praecedentis, at minor. Corpus cum alis obscure nigrum, minime nitidum. Abdomen coerulescens, ano tamen nigro. Antennae et pedes nigri.

Fabr. Ent. Syst. IV. 566. 16. Tab. atratus (Praecedentibus minor in descriptione nonnisi de T. ruficorni valet)

Fabr. Syst. Antl. 96. 16. Tab. atratus.

Pal. Beauv. Ins. p. 54. Tab. I. f. 1. Tab. niger: corpus nigrum. Alae obscurae. Oculi virides, fascia (interocularis) omnino laevis, nitens, picea.

Antennae nigrae, certo situ canescentes, barba nigra, frons feminae callo transverso subreniformi pone antennarum basin, altero transverso-quadrato, a quo vitta glabrata verticem versus adscendit. Thorax et abdomen hirsutie brevi nigra, qua detrita thorax obsolete fusco-lineatus et abdomen parum coeruleo-canescens relinquitur. In alarum nigredine puncta dua nigro non infecta distinctissime adparent. Pedes nigri, tibiarum anticarum basis sola flavo-albicans. Mus. Fabr. ♀. n. ♂.

3. Tabanus lineatus F.

Fuscus, ferruginoso-lineatus, abdomine nigro, antennis rubidis, alis fuscanis. Longit. lin. 11. ♀. Amer. bor.

Fabr. spec. ins. II. 455. 4. Tab. lineatus: oculis virescentibus, thorace lineato, abdomine obscure coerulescente, antennis rufis.

Magnitudo T. bovini. Os tomento cinereo tectum. Antennae rufae. Thorax fuscus, ferrugineo lineatus. Abdomen obscure coerulescens. Alae fuscae. Pedes picei.

Fabr. Ent. syst. IV. 363. 5. Tab. lineatus.

Fabr. Syst. Antl. 94. 3. Tab. lineatus: thorace lineato etc.

Palpi ferruginosi, frons ochrascens, callo rubiginoso ovali pone antennas. Os (hypostoma et genae) non tomento cinereo, sed hirsutie flavicante tectum. Abdomen nigrum, maculis segmenti secundi utrinque incisurisque omnibus obsolete badiis, in ventre pilis albis fimbriatis. Halteres ferruginei. In specimine Musei Fabr. nonnisi pes anticus et posticus absque tarsis relicti; femora subrubiginosa; tibiae anticae ferrugineae, posticae supra nigro-fuscae, subtus ferrugineae.

† 4. Tabanus rufipes *Pal. Beauv.*

Corpore fusco; antennis tibiis tarsisque nigris, cruribus palpisque luteo-fuscis. Alae obscurae. Oculi virides. Frons velutina, cinereo-lutea. Longit. lin. 10. ♀. Regnum Oware Africae.

Pal. Beauv. Ins. p. 55. Tab. I. fig. 3.

Corpus totum saturate fuscum, stethidium hirtum supra et infra alarum insertionem. Antennae, femora, tarsi, tibiarumque apices nigra, tibiarum basis et palpi rufa. Frons et spatium interoculare flavicante pubescentia; linea elevata glabra, nitente ovato-oblonga, antice canaliculata, postice filiformi basi parum incrassata. Alae fuscanae venis subpiceis.

† 5. Tabanus nigrescens *Pal. Beauv.*

Nigro-violaceus; oculis aeneo-violaceis; anten-

narum articulo tertio basi flavo; alis obscuris, maculis 3 fuscis. Longit. lin. 10. ♀. Amer. bor.

Pal. Beauv. Ins. p. 100. Tab. 2. fig. 2.

Nullam descriptionem auctor adiecit, in icone alae fuscanae adparent, maculae auctoris sunt venae connectentes fusco limbatae. Linea interocularis glabra fusiformis, callus pone antennas rotundatus.

6. Tabanus abdominalis F.

Lilacino-fuscanus, abdomine albo-maculato, alis fusco-maculatis. Longit. lin. 10. ♂. ♀. Carolina.

Fabr. Syst. Antl. 96. 15. Tab. abdominalis: obscure brunneus, abdomine ferrugineo: maculis dorsalibus albis.

Magnitudo fere ruficornis. Caput cum antennis obscure brunneum, oculis viridibus. Thorax brunneus, vix lineatus. Abdomen ferrugineum, macula dorsali triangulari in singulo segmento. Alae obscurae. Pedes brunnei.

Palis. Beauv. Ins. p. 101. Tab. 2. fig. 4. Tab. abdominalis F. (Color nimis ardens et in testaceum abiens).

Antennae fuscae, maris ferrugineae. Frons cinerascens linea glabrata infra in callum subquadratum dilatata; hypostoma canescens; barba flavicans. Thorax vittis 5 albidis, media lineari. Maculae abdominis albae vel post detritionem pilorum saepius adparent, in aliis speciminibus contra nullum earum vestigium relictum est. Maris color saturatior, abdomen fere badium. In speciminibus intactis utriusque sexus, thorax pruina quasi obtectus, abdomen pilis brevibus nigris hirtum. Alae parum infumatae, venis ferrugineo-fuscis; area costali ferruginosa, venis connectentibus fusco-limbatis; squamae et halteres fusca, hi capitulo albo. Femora fusco-nigra; tibiae plus minus badiae. Mus. Fabr. et n.

† 7. Tabanus rufus *Pal. Beauv.*

Luteo-rufescens; oculis aeneo-viridibus; antennis flavis; abdominis segmentis 6 ultimis medio fuscis; alis ferrugineis. Longit. lin. $9\frac{1}{2}$. ♀. Amer. bor.

Pal. Beauv. Ins. p. 100. Tab. 2. fig. 1.

Rufescente-luteus, infra hirsutissimus. Thorax maculis aliquot irregularibus fuscis; in ultima venarum alarum bifurcatione pone apicem macula fusca. [Vitta glabra interocularis lata antice instar cordis divisa; callus pone antennas rotundatus, quantum ex icone desumi potest.]

† 8. Tabanus pallidus *Pal. Beauv.*

Testaceus, subtus pilis albescentibus; oculis cupreis; antennis, thoracis maculis oblongis, scutelloque fuscis; alis obscuris immaculatis. Longit. lin. $9\frac{1}{2}$. ♀. Amer. bor.

Pal. Beauv. Ins. p. 100. Tab. 2. fig. 3.

[Linea glabra interocularis simplex.]

9. Tabanus rufiventris F.

Thorace fusco, albido-pruinoso; abdomine rubido; alarum costa nigra. Longit. lin. $9\frac{1}{2}$. ♀. India orient.

Fabr. Syst. Antl. 96. 13. Tab. rufiventris: thorace obscuro, abdomine rufescente, alarum costa nigra.
Magnitudo T. bovini. Caput cinereo villosum antennis atris. Oculi aurei. Thorax obscurus, vix cinereo lineatus. Abdomen rufescens, linea dorsali e punctis albidis. Alae albae costa nigra.

Antennae brunneae, basi apiceque nigrae. Caput flavicante-villosum, frons rubida, vitta ordinaria glabrata, ad oculorum canthum inferiorem vix dilatata. Pleurae rubidae. Abdominis puncta albida in margine postico singuli segmenti sita; margi-

nes laterales segmentorum albi; incisurae ventrales albae. Squamae alarum fuscae; halteres albi. Reliqua descriptione Fabr. congrua. Mus. reg.

10. Tabanus cinctus F.

Niger, abdominis segmentis tribus anterioribus ferrugineis, alis nigris. Longit. lin. 9. ♀. Virginia.

Fabr. Ent. syst. IV. 366. 18. Tab. cinctus: oculis . . . ater abdominis segmentis tribus anticis rufis, alis nigris.

Statura et magnitudo T. bromii. Caput et thorax atra, immaculata. Scutellum atrum. Abdominis segmenta tria anteriora rufa; macula oblonga primi et secundi segmenti rufis [nigris], reliqua atra. Alae et pedes nigri.

Fabr. Syst. Antl. 97. 20. Tab. cinctus: ater etc.

Meig. Syst. Beschr. II. 42. 16. Tab. cinctus. (qui false hanc speciem pro europaea habuit.)

Antennarum articuli tertii basis badia. Hypostoma et genae fuliginosa. Frons fusco-cinerascens, vitta glabrata calloque oblongiusculo nigris. In vertice calli perexigui tres in triangulum ita dispositi, ut duo postici sint contigui, anticus ab illis paulo remotus. Thorax fusco-pubescens. Abdomen basi macula triangulari fusco-nigra; primo et secundo segmento communi; apex abdominis fusco-niger. Alae nigro-fuscae cellulis apicalibus medio multo dilutioribus. Squamae et halteres nigro-fusca. Mus. Fabr.

11. Tabanus variegatus F.

Lilacino-rubidus; abdomine badio, albo-maculato; alis fusco-maculatis, margine interno fusco-limbato. Longit. lin. 9. Amer. bor.

Fabr. Syst. Antl. 95. 10. Tab. variegatus: thorace sublineato, alis fuscis: disco albo nigro maculato.

Magnus. Caput cinereum, antennis nigris. Thorax cinereus, nigro-lineatus. Abdomen nigrum linea

dorsali e punctis trigonis cinereis, subtus basi rufum. Alae nigrae: disco albo; maculis tribus nigris, anterioribus duabus transversis sinuatis.

Antennae fusco-nigrae, basi articuli tertii rufo-ferruginea; hypostoma canum; frons cinerascens, linea et callo subquadrato glabratis fuscis. Thorax lilacino-rubidus, vittis 5 albidis (nigro-lineatus textus Fabr. aperte est erratum), in speciminibus intactis ad latera postice albido-hirtus. Abdomen ferruginoso-badium, segmentis anterioribus basi utrinque macula fusco-nigra, quinto et sequentibus totis fere nigris, omnibus vero incisuris utrinque albidis. Maculae albidae trigonae in secundo et tertio segmento antice vittula fusca terminati sunt; ultimum segmentum totum nigrum. Alae vere albidae, area costali, apice margineque interno dilute fuscanae, venae connectentes saturate fusco-limbatae; halteres fusci capitulo albo. Pedes fusci, tibiarum basi ochracea. Mus. Fabr.

Variat paulo minor, colore trunci multo saturatiore, in thorace intacto vittis albidis haud apparentibus; alis limbo fuscano carentibus, sed punctis fuscanis dilutis ad extremitates venarum 2. 3. 5. 6. pedibus subbadiis. E Georgia Americes. Mus. de Winthem.

12. Tabanus fuscus *mihi.*

Thorace fusco; abdomine nigricante; alis fuscanis. Longit. lin. 9. ♀. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 41. No. 1.

Antennae, palpi, barba nigra; hypostoma et frons glandi-color, haec linea glabrata, infra vix dilatata. Thorax saturate caryophyllinus, lineis obsoletissimis saturatioribus; pleurae caryophyllinae. Abdomen nigrum in coerulescentem migrans, incisuris parum albicantibus. Abdomen speciminorum examini concessorum aperte detritum, pilis nigris et paucioribus albis hinc illinc relictis; specimina in-

tacta probabiliter picturam aliquam habent. Alae et squamae fuscanae. Pedes nigri. Cum T. atrato minime confundendus, qui maior est, alis multo saturatioribus. Mus. de Winthem. et n.

13. Tabanus glaucus *mihi.*

Glaucus abdomine ferrugineo, vitta media anoque glaucis; alis infumatis. Longit. lin. 9. ♀. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 42. No. 3.

Antennae desunt; palpi silacei; barba albida; hypostoma griseum; frons flavicans vitta glabrata angusta fusca, sursum sensim lineari. Thorax glaucus vittis albidis obsoletissimis; pleurae glaucae albido-hirtae. Abdominis vitta basi apiceque latior. In speciminibus intactis abdomen fulvo-hirtum esse videtur, et forsan maculis albidis notatum. Venter ferrugineo-flavicans. Squamae infumatae. Pedes ferrugineo-flavicantes; femora glauca, apice ferruginea, tarsi fusco-nigri. Mus. de Winthem.

14. Tabanus rubidus *mihi.*

Lilacino-fuscanus; thorace albido-vittato; abdomine vittis tribus macularibus albidis. Longit. lin. 8. ♀. Bengalia.

T. autumnali F. affinis. Antennae subrubidae, articulo apicali toto fere nigro; hypostoma album; barba alba; palpi pallidissime flavicantes; frons grisea, vitta glabrata lineari inferne in callum angustum ovalem rubidum dilatata. Thorax lilacino-fuscanus griseo-pubescens, vittis 5 albidis certo situ canescentibus; pleurae albo-subpruinosae, albo-pubescentes. Abdomen lilacino-fuscum; vitta media e maculis angustis trigonis, laterales e maculis subquadratis compositae; margines laterales flavido-albi; totum abdomen certo situ canescens. Alae medio parum flavicantes; halteres parum rubidi.

Femora pallidissime lilacino-rubida superne vitta nigricante; tibiae in flavidum magis migrantes, ambo albo-hirta; tarsi fusci. Mus. Westermanni.

15. Tabanus vestitus *mihi.*

Thorace schistaceo, abdomine badio, albo-maculato, alis infumatis. Longit. lin. 8. ♀. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 42. No. 2.

Antennae nigrae, palpi fusco-flavidi; barba cana; frons flavicans, linea glabrata inferne in clavam dilatata. Thorax dilute schistaceus, obsoletissime flavido-vittatus humeris lobulisque antalaribus fusco-flavidis. Pleurae et pectus cano-hirta. Abdomen versus apicem saturatius badium; segmenta 5 anteriora singula macula media alba trigona et utrinque macula laterali transversa cum media cohaerente; margines laterales segmentorum pariter albi; albedo ubique pilis brevibus efficitur; segmenta ultima duo tota nigro-pilosa. Incisurae ventrales albo-pilosae, duabus ultimis exceptis. Alae dilute infumatae, venis saturatius limbatis. Halteres fusci, capitulo summo albo. Femora et tarsi nigra, tibiarum basis plus minus badia, apice tantum nigro; tibiae anticae dimidiato-nigrae; femora et tibiae insuper pilis appressis albidis munitae. Mus. de Winthem et n.

16. Tabanus pellucidus F.

Rubido-fuscus, abdomine ochraceo, alis infumatis. Longit. lin. 8. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 97. 21. Tab. pellucidus: fuscus abdomine ferrugineo.

Magnus. Caput cinereo villosum, antennis atris. Thorax fuscus, parum rufo-lineatus. Abdomen subpellucidum rufum, ano obscuriore. Alae albidae. Pedes nigri.

Antennae ferrugineae, articulo secundo, apiceque tertii fuscis; barba saturate flavicans; hypo-

stoma canescens; frons linea glabrata simplici. Thoracis pars anterior parum glaucescens. Pleurae fuscano-hirtae. Abdomen saturate ochraceum; venter laetior. Alae parum infumatae, primis venis longitudinalibus fuscano-limbatis. Pedes obscure ochracei; antici fere nigri. Mus. Fabr.

† 17. Tabanus taeniola *Pal. Beauv.*

Cinereo-fuscus, subtus villosus. Thorace lineis 4, abdomineque 3 griseis notatis. Antennae apice nigrae. Tibiae antice albidae; alae rufescentes. Longit. lin. 8. ♀. Regn. Oware et Benin.

Pal. Beauv. Ins. p. 56. Tab. I. fig. 6.

Affinis T. vittato, striato, indico et trivittato F. Corpus griseo-fuscum, hirsutie simili in pleuris et pectore; thoracis lineae obsoletiores, abdominis vittae vero distinctissimae, harum laterales in ultimum abdominis segmentum haud continuatae. Antennarum articuli 1. 2. fusci, 3. basi luteus apice niger. Abdomen medio fuscum. Pedes pallidi, tarsis fuscis. Linea glabrata interocularis biarticulata (binodis) antice in callum subrotundum dilatata, postice elongato-ovalis, fusiformis.

18. Tabanus crassicornis *mihi.*

Rubido-fuscus, thorace obsolete fulvido-vittato, abdomine trifariam albo-maculato, alis flavidis. Longit. lin. 8. ♀. America?

Antennae fuscae, articulo tertio solito crassiore, dente validissimo. Hypostoma albidum; palpi subhelvi, barba alba. Frons grisea, solito angustior, linea glabrata fusca infra vix parum dilatata. Thorax coccionelleo-fuscus antice obscurior, fere nigricans, vittis linearibus quatuor obsoletis fulvidis. Pleurae parum albicantes albido hirtae. Abdomen dilutius coccionelleo-fuscum certo situ canescens, incisuris subhelvo-ciliatis; triplici serie macularum

albidarum obsoletissimarum, quarum tres in singulo segmento aegerrime conspiciuntur, figura uti videtur trigona. Venter subtestaceo rubidus. Alae obscure flavidae, area costalis saturatior; squamae flavido-fuscanae; halteres albidi. Femora obscure rubido-fusca, albido pilosa, tibiae dilutius fuscae nec rubidae; tarsi saturate fusci. Hac de specie in Mus. Fabr. falso sub nomine *rufiventris* exstat (verum rufiventrem vid. No. 9.) vetustissimum exemplar, cuius descriptio emendanda erit ad exemplaria recentiora.

19. Tabanus calens *Lin.*

Oculis viridibus, abdominis dorso lineo alba, antennis rubris. Hab. in America. Mus. de Geer. Linn. Syst. Nat. II. 1000. 6.

Degeer Ins. VI. 226. 1. Tab. giganteus: fuscus, antennis lunulatis rufis, oculis virescentibus; scutello rufo, macula nigra, pedibus ferrugineis. Ex Pensylvania. Longit. iconis lin. $12\frac{1}{2}$.

Fabr. Ent, Syst. IV. 364. 9. Tab. calens: oculis viridibus etc.

Antennae obscure rufae, apice fuscae. Thorax fuscus, cinereo sublineatus. Abdomen fuscum, basi cinerascens linea dorsali alba. Pedes fusci tibiis basi albis.

Fabr. Syst. Antl. p. 94. 7.

Exemplar in Museo Fabr. sub nomine T. calentis exstans longe diversum a specie Linneana. T. lilacino-rubidus thorace lineis albidis. Longit. lin. $7\frac{1}{2}$. ♀.

Antennae saturate ferrugineae, hypostoma albicans; palpi dilute flavi; barba alba; frons helvo-albida, callo obovato lineaque glabra ferruginosis. Thorax certo situ pruinoso-albescens. Alae sublimpidae. Femora rubida, tibiae flavicantes, apex extremus tibiarum et tarsi fusci.

20. Tabanus guttatus *Meg.*

Thorace lilacino-rubido, albido-vittato; abdomine fusco, trifariam albo-maculato, tibiis albis Longit. lin. $7\frac{1}{2}$. ♀. America.

T. abdominali F. affinis. Antennae nigrae; palpi helvi; frons grisea, linea glabrata fusca inferne in callum ovalem oculos attingentem dilatata. Thoracis vitta media linearis, laterales paulo latiores; latera thoracis praeterea albida. Abdomen nigro fuscum; maculae, in unico specimine quod vidi, mediae trigonae, laterales oblique trigonae margines segmentorum laterales tangentes. Alae fuscanae, venis, eisque imprimis connectentibus, obscurius limbatis; squamae nigro-fuscae. Pedes fusco-nigri; tibiae anticae basi dimidiato-, posteriores usque fere ad apicem albae. Mus. Prof. Germar.

21. Tabanus fasciatus F.

Thorace subisabellino, abdomine glandicolore, alis fascia fusca. Longit. lin. $7\frac{1}{2}$. ♀. Sierra Leone.

> Fabr. Syst. Ent. 788. 3. Tab. fasciatus: oculis viridibus corpore brunneo, alis fascia fusca.
> Statura et magnitudo T. bovini. Caput brunneum, ore pallidiore. Corpus supra brunneum, subtus pallidius. Alae albae, basi fasciaque media fuscis. Pedes nigri, femoribus pallidis.
> Fabr. Ent. Syst. IV. 364. 8. Tab. fasciatus.
> Fabr. Syst. Antl. 94. 6. Tab. fasciatus.

Specimen Musei Fabr. valde mutilatum et vetustum. Magnitudo in Fabr. textu nimis aestimata est. Antennae ferrugineae; palpi laete glandicolores; barba flavicans; frons ferruginea, vitta glabra a medio usque ad canthum oculorum ducta, ibi in callum ovalem dilatata. Alarum fascia ultra medium sita, ad marginem internum diluta; praeter basin et fasciam area costalis quoque fusca. Femora antica vix subtus pallida, tibiae anticae incrassatae arcuatae; postice bifariam ciliatae.

Huic omni respectu simillimum specimen ♀ ex insula Iava attulit amicissimus Westermann; praeter colorem brasilianum in abdomine dilutiorem et pedes totos brasilianos, tibiarum anticarum apicem tarsosque omnes fuscos, nullam omnino differentiam exhibens.

† 22. Tabanus trimaculatus *Pal. Beauv.*

Corpore fusco. Antennis nigris. Femoribus tarsisque fuscis. Thorax lineis 4 albidis vittatus. Abdominis marginibus cinereis, segmentisque tribus intermediis puncto triangulari albo maculatis. Tibiae albidae. Oculi rubelli. Longit. lin. $7\frac{1}{2}$. ♀. America merid.

Pal. Beauv. Ins. p. 56. Tab. I. fig. 5.

Haec species etsi pluribus a Fabricio descriptis affinis, attamen diversa videtur, eo praecipue quod abdomen sit fuscum pube grisea marginatum, et habeat maculam trigonam albidam in utroque trium segmentorum intermediorum. Antennae nigrae; frons et spatium interoculare grisea, linea crassa antice ovali postice filiformi. Alarum venae fuscae, inprimis ad bifurcationes. Palpi albidi.

23. Tabanus ater *Pal. Beauv.*

Ater, alis fusco-nigris. Longit. 6. ♂. 7. ♀. Savannah.

Pal. Beauv. Ins. p. —. Tab. 2. fig. 5?

Antennae atrae, dente articuli apicalis minimo; os, hypostoma, frons atra, nitentia; frons pone antennas gibba; oculi bifasciati. Thorax ater; pleurae in fuliginosum migrantes. Abdomen et venter atra, nitentia. Alae fusco-nigrae, cellularum apicalium disci dilutiores; halteres fuliginosi. Pedes atri nitentes. Haec descriptio ad nitidissimum exemplar masculinum Musei Westermanniani con-

cepta est. Icon feminae supra citatum huc pertinere videtur, at color corporis nimis chalybeus, alarum nimis fuscanus.

24. Tabanus nigripes *mihi.*

Nigricans, abdomine incisuris albidis, pedibus nigris, alis limpidis. Longit. lin. 7. ♂. Savannah.

Antennae et palpi nigra; hypostoma fuscanum; genae parum cano-micantes; frons fuscana; oculi bifasciati. Thorax nigricans, vittis duabus latissimis linea nigricante seiunctis, fuscanis obsoletis, certo situ canescentibus; thoracis margines laterales et pleurae fuscana. Abdomen fusco-nigrum incisuris albidis, iisque medio latius albidis, certo sito subniveis; ventris incisurae pariter albidae sed medio haud latius. Alae limpidae. Halteres fuliginoso nigricantes, capitulo albido. Pedes omnino nigri. Affinis certe sequenti an alter sexus? Mus. Westermanni.

† 25. Tabanus exaestuans *Linn.*

Linn. Syst. Nat. II. 1000. 8. Tab. exaestuans: oculis viridibus, abdominis segmentis margine albis, tibiis candidis.

Degeer. VI. 229. 8. tab. 30. fig. 5. Tab. fuscus: thorace griseo, abdomine lineis transversis griseis, tibiis albis apice nigris; alis hyalinis.

Fabr. Ent. Syst. IV. 365. 13. Tab. exaestuans.

Fabr. Syst. Antl. p. 96. 12. Tab. exaestuans.

Longitudo iconis Degeer. lin. 7. ♀.

26. Tabanus indicus F.

Cinereus abdomine subferrugineo, vittis tribus albis. Longit. lin. 6. $\frac{2}{3}$. ♀. Amer. merid.

Fabr. Syst. Antl. 103. 48. Statura omnino T. striati at maior et alius. Caput cinereo villosum antennis ferrugineis. Thorax cinereus vix lineatus. Abdomen

subferrugineum vittis tribus latis haud abbreviatis albis. Alae exalbidae. Pedes ferruginei, tarsis atris.

Specimen sub hoc nomine in Mus. regio exstans cum descriptione Fabr. parum quadrat, stethidium enim non cinereum sed thorax abdomine concolor, absque ullo linearum vestigio et pectus pruina albida tectum. Etsi pro specimine detrito habere velles, tamen tarsi repugnant, qui nempe non sunt atri, verum femoribus tibiisque dilute ferrugineis plane concolores. An forsan maribus sint tarsi atri?

† 27. Tabanus thoracinus *Pal. Beauv.*

Fulvus, thorace viridi-glauco. Tarsi fusci. Antennae luteae. Oculi virides et rubelli. Longit. lin. 6½. ♀. Regnum Oware et Benin Africae.

Pal. Beauv. Ins. p. 55. Tab. I. fig. 4.

Supra et infra fulvus. Antennae luteae, tarsi fusci antici saturatiores, fere nigri. Thorax fusco-virescens, glaucus. Spatium interoculare rufo-pubescens, linea glabra postice filiformi antice ovato-rotundata canaliculata. Alae fuscanae.

† 28. Tabanus fervens *Linn.*

Linn. Syst. Nat. II. 1000. 9. Tab. fervens: oculis viridibus, abdomine antennisque luteis, capite thoraceque fusco.

Degeer. VI. 228. 4. Tab. 30. fig. 4. Tab. capite antennisque flavis; thorace fusco, lateribus flavo; abdomine flavo, apice alisque fuscis.

Fabr. Ent. syst. IV. 365. 12. Tab. fervens. Amer. mer.
Fabr. Syst. Antl. p. 95. 11. Tab. fervens.
Longitudo iconis Degeer. lin. 6½.

29. Tabanus mexicanus *Linn.*

Thorace livido, flavicante-hirto; antennis alarumque venis virescentibus, alis punctatis. Longit. lin. 6 — 6½. ♀. Amer. mer.

Linn. Syst. Nat. II. 1000. 10. Tab. mexicanus: oculis . . . : corpore livido, antennis viridibus, alis virescentibus punctis anastomosantibus.

Degeer. Ins. VI. 230. 6. tab. 30. fig. 6. Tab. olivaceus: viridi olivaceus, oculis flavo-aureis; pedibus viridibus; alis virescentibus, punctis costarum fuscis

Fabr. Spec. insect. II. 457. 16. Tab. mexic. (Diff. Linn.)

Fabr. Ent. syst. IV. 367. 22. Tab. mex. (Diff. Lin.)

Fabr. l. c. 368. 25. Tab. punctatus: oculis testaceis, tomentoso cinereus, alis albis nigro punctatis. Habit. Caiennae.

Statura et magnitudo T. rustici. Corpus totum cinereo tomentosum. Femora viridia. Tibiae albae. Alae albae punctis plurimis anastomosantibus fuscis costaque subferrugineis.

Fabr. l. c. 26. Tab. inanis: oculis fuscis tomentoso cinereus abdomine pellucido apice fusco. Hab. Caiennae.

Praecedenti nimis affinis. Corpus totum cinereo villosum abdomine inani, pellucido, apice fusco. Alae albidae immaculatae, costa subferruginea. Femora apice virescentia.

Fabr. Syst. Antl. 98. 25. Tab. mexicanus: corpore livido, antennis alarumque nervis viridibus, alis punctatis.

Antennae his laete ferrugineae illis virescentes, palpi pallidiores, hypostoma et frons pallidissime virescentia; frons absque linea s. vitta glabrata. Thorax nunc livens nunc virens, flavicante-hirtus, interdum albido-trivittatus. Abdomen pallide virens aut ferrugineum, apicem versus paulo ochraceo-fuscanum. Alae flavicantes, punctis fuscis non solum in anastomosibus verum etiam illis in locis costae et marginis interni ubi venae longitudinales terminantur. Monendum vero haec puncta saepius obsoleta vel plane deleta esse. Halteres flavicantes capitulo albo. Pedes plus minus flavicantes interdum virentes. Mus. Fabr. et n.

30. Tabanus quadripunctatus F.

Fuscus; abdominis basi flavicante, punctis 4 ru-

bido-fuscis; alis punctatis. Longit. lin. 6¼. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 99. 29. Tab. quadripunctatus: niger abdominis basi cinerea: punctis 4 nigris, alis punctatis.

(NB. Citatum Ent. syst. suppl. delendum est.)

Antennae nigrae, basi interne ferrugineae, articulo tertio ad basin dente validissimo instructae; frons cinerascens, linea glabrata verticem non attingente, infra in discum dilatata. In vertice eminentia parva, punctis duobus glabris ocellos mentientibus. Proboscis ferruginea; barba albicans. Thorax fuscus, vittis tribus dilutioribus; pleurae ante alarum basin rubidae. Abdomen fusco rubidum; margo posticus segmenti 1. sinuato griseus; segmentum 2. griseo-flavidum punctis 4. magnis fusco-rubidis, margines postici segmentorum sequentium albi; segmentum 3. duobus, sequentia tribus punctis albis cum marginum fasciis confluentibus. Segmentorum ventralium margines postici et tergi laterales albi. Alae limpidae venis fusco-nigris, venis connectentibus fusco-limbatis; squamae fuscae, halteres flavo-albidi. Pedes fusco-nigri, tibiarum basi flavicante; in tibiis intermediis triens apicalis tantum niger. Mus. reg.

31. Tabanus ardens *mihi.*

Thorace glauco, fulvo-pubescente; abdomine ferrugineo; alis infumatis; pedibus fulvis. Longit. lin. 6. ♀. Iava.

Antennae ardentissime ferrugineae, apice extremo nigrae; hypostoma fulvum; barba fulva; palpi dilute fuscani; frons ochracea, solito paulo angustior, linea glabra inferne parum dilatata fusca. Thorax ferrugineo-vittatus; pleurae fulvo-glaucescentes. Abdominis segmentum 1. utrinque et in tergo, reliqua marginibus lateralibus tantum subcerea et fulvo-hirta; tergum saturatissime ferrugi-

neum, pilis brevissimis nigris; in apicis segmenti primi medio punctum fulvo-pilosum. Alarum area costalis flava, discus basin versus parum flavicans; halteres fulvi. Tarsi fusci. Mus. Westermanni.

32. Tabanus cervicornis F.

Thorace flavicante fascia fusca; alis fusco-maculatis; antennarum dente elongato. Longit. lin. 6. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 100. 35. Tab. cervicornis: thorace albo: fascia nigra, alis maculatis, antennarum dente elongato.

Medius. Antennae ferrugineae, apice nigrae: dente medio elongato incurvo. Caput tomentoso cinereum. Thorax villosus, albus, fascia lata scutelloque nigris. Abdomen ferrugineum segmentorum marginibus pallidioribus. Alae fusco alboque variegatae. Pedes pallidi tibiis posticis tarsisque omnibus nigris.

Palpi silacei; hypostoma flavicans; frons obscurius flavicans, linea glabrata infra in callum quadratum dilatata, scutellum fuscum. Pleurae flavicantes. Abdomen melleum potius quam ferrugineum. Alae flavicantes, basi, area costali et maculis tribus fuscis, quarum maxima fasciam format supra furculam venarum in apice alarum extensam, media a margine interno ultra latitudinis dimidium adscendit, tertia basi proxima, subquadrata a margine interno usque ad dimidium latitudinis alae extensa est; halteres flavicantes capitulo fere albo. Pedes mellei, tibiis posticis tarsisque omnibus nigro-fuscis, tibiis anticis, apice fusco excepto, albis, intermediis parum albicantibus. Mus. Fabr. et n.

33. Tabanus striatus F.

Rubido-fuscanus, thorace albido-vittato; abdomine vittis tribus albis. Longit. lin. 5—6. ♂. ♀. China. Iava.

Fabr. Ent. syst IV. 371. 39. Tab. striatus: cinereus abdomine fusco: lineis tribus abbreviatis albis.

Medius. Os albidum antennis rufescentibus. Thorax cinereus, sublineatus. Abdomen fuscum lineis tribus albis lateralibus a basi ad medium ductis, media a medio versus apicem. Pedes obscure cinerei tibiis posticis pallidis.

Fabr. Syst. Antl. 103. 47. Tab. striatus.

Antennae ferrugineae; hypostoma canum; barba albida; frons flavicans, vitta glabrata superne et inferne in callum quadratum dilatata. Thorax certo situ albicans, vittis 4 latis lineaque media albidis, in omni situ conspicuis; pleurae albido-hirtae. Abdomen vittis tribus latis albis, in speciminibus intactis minime abbreviatis; marginibus lateralibus quoque albis, ita ut revera vittae 5 adsint. Alae limpidae; halteres fuscani, capitulo albo. Femora rubido-ferruginosa, tibiae dilutiores; tarsi fusci. Mus. Fabr. et n.

34. Tabanus marginalis F.

Fuscus, thoracis marginibus lateralibus rubido-fuscanis; abdomine trifariam albo-maculato. Longit. lin. 5½. ♀. Amer. bor.

Fabr. Syst. Antl. 99. 31. Tab. marginalis: niger thoracis margine testaceo, abdominis segmentis margine albis.

Statura parva —. Caput nigrum fronte cinerea, antennis nigris: articulo primo testaceo. Thorax niger margine testaceo lineisque tribus dorsalibus albidis. Pedes nigri tibiis albidis.

Annot. In specimine unico Musei Fabr. abdomen casu resupinatum erat, quod praetervidens autor tergi loco ventrem descripsit.

Antennae nigro-fuscae, articulo 1. et 2. ochraceis; palpi helvoli; barba alba, frons fusco-cinerascens, vitta glabrata a medio frontis deorsum ducta in callum ferruginosum desinens, infima pars frontis helva. Hypostoma canum. Abdomen fuscum, quolibet segmento macula media trigona et utrinque laterali subquadrata albidis; laterales in primis seg-

mentis mediis multo maiores. Alae sublimpidae; halteres ferruginei. Pedes nigro-fusci tibiae rubidae apice in anticis valde in posterioribus vix fuscanae.

35. Tabanus rufescens F.

Ferrugineo-rubidus, scutello albido; alis limpidis fascia lata fusca. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 100. 33. Tab. rufescens: obscure rufus scutello albido, alis albis fascia lata fusca.

Magnitudo fere praecedentis (T. tropici). Caput obscure rufum, antennis nigris. Thorax obscure rufus, immaculatus: scutello cinereo villoso. Abdomen rufum linea dorsali e punctis albis. Alae albae: fascia lata fusca. Pedes nigri.

Antennae rubido-ferrugineae, apice nigrae, dente magno incurvo munitae T. damicorni simili; frons vitta glabrata deorsum clavato-dilatata. Thorax ferrugineo-rubidus, sub lente punctis dilutioribus hic illic sparsis, antice duobus locis griseo-micans; scutellum albido-hirtum. Abdomen paulo magis rubidum, marginibus segmentorum posticis saturatioribus, pilis albis obsitis medio spatium latius occupantibus puncta alba vero non formantibus; venter utrinque fuscus, medio rubidus, incisuris albidis. Alarum area costalis et macula, versus apicem magna rotundata, fusca. Pedes picei. Mus. reg.

36. Tabanus lineola F.

Niger, thoracis lateribus ochraceis; abdomine vitta alba, lateribus melleis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. ♀. Amer. bor.

Fabr. Ent. syst. 369. 33. Tab. lineola: fuscus abdomine subferrugineo, dorso fusco, linea alba.

Paulo maior pluviali (Haematopota pl.). Caput fuscum, ore albo, antennisque testaceis. Thorax fuscus puncto ante alas calloso ferrugineo. Abdomen subte-

staceum dorso fusco maculoso lineaque media alba distincta integra. Pedes nigri tibiis ferrugineis.

Coquebert Illustr. icon. 112. tab. 25. fig. 6.

Annot. Specimen unicum Musei Fabr. valde detritum; icon Coquebertii pessima. Quae in specimine animadverti possunt sequentibus enuntiare liceat.

Fabr. Syst. Antl. 102. 41.

Antennarum basis dilute ochracea, apex deest; palpi albidi; hypostoma canum; frons cinerascens, linea glabrata infra in callum subovalem nigrum dilatata. Punctum callosum thoracis (Fabr.) *Tabanis* in genere commune, et revera lobulus trigonus ante alarum insertionem situs, apice suturam thoracis transversam tangens. Abdomen submelleum postice in ferrugineum migrans, vitta nigro-fusca basi angustata, versus apicem vero ita dilatata ut demum segmenta ultima tota occupet; in hac vitta alia inclusa est albida, ad singulas incisuras parum dilatata; versus tergi latera utrinque vitta adhuc albida sed obsoletior et versus postica evanescens, manifeste tamen e maculis singuli segmenti parum obliquis conflata. Alae sublimpidae, squamae et halteres flavicantes, hi capitulo albido. Pedum anticorum femora apice extremo, tibiae ultra medium, posteriorum femora triente apicali, tibiae totae dilutissime ferrugineo-flavicantes.

37. Tabanus occidentalis *Linn.*

Fuscus, abdomine vittis tribus albidis, thorace vittisque fulvo-hirtis; tibiis anticis basi albis. Longit. lin. 4 — 5½. ♂. ♀. Brasil.

Linn. Syst. Nat. II. 1001. 13. Tabanus occidentalis: oculis fasciis binis fuscis, corpore fusco, abdomine lineis tribus fulvis. — Habitat in America merid.

De Geer VI. 228. 3. tab. 30. fig. 3. Tab. fuscus abdomine lineis tribus fulvis, pedibus anticis nigris, macula albida, reliquis antennisque fulvis.

Fabr. Ent. syst. IV. 368. 27.

Fabr. Syst. Antl. 99. 30.

Antennae ardentissime ferrugineae, articulo ul-

timo apice nigro. Palpi albidi, in nonnullis flavicantes. Hypostoma et genae canescente-alba. Frons in ♀ obscure fulvescens, linea glabrata et callo quadrato fuscis. Thorax fuscus absque vittis aut lineis, tomento fulvo obsitus; lobulus trigonus ante alarum insertionem rufescens. Pleurae dilute schisticolores in canum migrantes. Abdomen brunneofuscum (i. e. magis quam thorax ex rubro mixtum) vittis tribus albidis fulvo hirtis, lateralibus plus minus abbreviatis; segmentorum margines laterales pariter albidi. Venter dilutissime rubido-fuscanus medio baseos apiceque nigricans. Alae parum fuscano-turbidae linea stigmatica fuscana. Halteres dilute ferruginei capitulo flavido-albo. Pedes antici fusco-nigri tibiarum basi alba. Pedes posteriores rufescentes femorum basi parum nigricante tarsisque fusco-nigris. Coxae albidae; femora albido-hirta. Haec species in Museo Hoffmannseggii exstat sub nomine T. dorsalis unde ♀ accepi. In quatuor exemplaribus Musei nostri fasciae oculorum evanescuere, at in mare, a Principe Max N. W. accepto, feminis illis ad amussim simili, distincte adparent. Ceterum T. trivittato Mus. Fabr. proxima est sed diversa. Mus. n.

38. Tabanus dorsiger *mihi.*

Fuscus, thorace obsolete albido-vittato, abdomine vittis tribus albo-hirtis, alis limpidis. Longit. lin. 5. ♀. Brasil.

T. occidentali similis, differt vero ab hac specie et T. trivittato F. thorace vittis quatuor albidis latis obsoletis notato, quarum interiores linea tantum sunt disiunctae. Differt porro ab occidentali: vittis abdominis exterioribus scalaribus, nec uno tractu marginibus parallelis decurrentibus; omnibusque vittis albo- nec fulvo-hirtis; alis nulla fuscedine tinctis; femoribus paulo magis nigricantibus, tibiis

vero multo minus rufescentibus. Cetera cum occidentali quadrant. Mus. n. In Mus. Fabr. cum T. trivittato confusus.

39. Tabanus quinquevittatus *mihi.*

Fuscus, thorace fulvo-hirto, abdomine saturatiore vittis tribus marginibusque lateralibus fulvo-hirtis. Longit. lin. 5. ♀. Mexico.

T. dorsigero simillimus, at thorax et abdominis vittae fulvo-hirta; thorax absque vittis; abdominis color saturatius nigro-fuscus. Hypostoma, genae, pleurae, pectus glauco-flavicantia. Alae sicuti in T. dorsigero limpidissimae. Tibiarum anticarum basis flavida non alba. Mus. de Winthem.

40. Tabanus trilineatus *Latr.*

Supra rufescenti-brunneus; abdomine fasciis tribus griseis; capite infra pectoreque cinereo-griseis; tibiis anticis a basi ad medium albis, tunc nigris; alis marginem externum versus, macula brunnea. Longit. lin. 6. ☿. Brasilia.

T. occidentali *Linn. Degeer.* praecipue vero T. indico F. proximus. Antennae rubidae, extremitas superior articuli primi (?), acuta et nigricans. Hypostoma et pectus cinereo-grisea. Palpi albidi. Oculi nigro-fusci. Frons callo glabrato. Thorax rubido-fuscus lineolis duabus longitudinalibus et macula utrinque dilutioribus. Abdomen vittis tribus grisescentibus, media distinctiore et longiore; venter rubido-griseus. Alae limpidae macula brunnea angusta elongata et paulo obliqua versus costae medium. Pedes antici femoribus griseo-pubescentibus; tibiae dimidio superiore albidae, ceterum nigricantes; tarsi nigricantes. Pedes posteriores dilute rubidi tibiis paulo dilutioribus.

Hanc speciem non vidimus; characterem et descriptionem ex *Humboldt et Bonpland Recueil*

d'obss. de Zool. etc. fascic. X. p. 116. 117. desumsimus. Nonnulla non possumus non quin moneamus. De antennis enunciatur: „*l'extrémité de leur première piéce est pointue et noiratre*, nonne intelligendum est *dernière* loco *première?* Porro: *l'intervalle compris entre les yeux est uni, et offre en devant une petite éminence d'un brun luisant, portant les yeux lisses.* Ocelli vero in parte frontis anteriore nunquam positi sunt, sed in parte postica s. vertice. Anne habeat ocellos? ex icone incorrecta tab. XI. fig. 6. non apparet; sed vix credimus.

41. Tabanus trivittatus F.

Nigricans; abdomine fusco, vittis tribus albis. Longit. lin. 5. ♀. Brasilia.

Fabr. Syst. Antl. 104. 40. Tab. trivittatus: niger abdomine fusco, vittis tribus albis.

Affinis certe indico at distinctus. Antennae ferrugineae. Thorax niger, immaculatus. Abdomen fuscum, lineis tribus integris albis. Alae albidae. Pedes nigri, tibiis ferrugineis.

Antennae ardentissime ferrugineae; hypostoma canum; barba alba; frons cinereo-flavicans, linea glabrata a medio ad oculorum canthum descendens, ibique in callum subquadratum dilatata. Thorax nigricans; pleurae glaucescentes. Abdominis latera plus minus ferruginosa, quod detritis vittis distinctius apparet. Margines segmentorum laterales et incisurae quoque albicantes. Alae flavicante-sublimpidae. Pedes fusco-nigri; femora media in nonnullis ferruginea; tibiae anticae basi albidae, apice nigrae; tarsi omnes nigro-fusci. Mus. Fabr. et n.

42. Tabanus obsoletus *mihi*.

Fuscus abdomine trivittato, vitta media angustiore et obsoleta. Longit. lin. 4—4¾. ♀. Bahia Brasil.

Antennae ardentissime ferrugineae apice articuli tertii nigro. Hypostoma, genae, pleurae glaucescentia. Palpi albicantes. Frons flavicans callo fusco-nigro subquadrato a quo linea sursum adscendit. Thorax et abdomen concolora nigro-fuscana; in thorace vestigia hirsutiei flavicantis supersunt. Abdominis vittae ferrugineo-flavicantes, certo situ albido-micantes, laterales latae marginibus rectis; mediá angustissima, obsoletissima, interdum nulla; hirsuties detrita. Alae ad costam fuscanae. Pedes fusco-nigri; femorum apices et tibiae rufescentes; tibiae anticae vix basi rufescentes. Mus. n. et reg. Berolin.

† 43. Tabanus lineola *Pal. Beauv.*

Ardentissime testaceus, abdomine vittis tribus dilutioribus, alis limpidis. Longit. lin. $5\frac{2}{3}$. ♀.

Pal. Beauv. Ins. p. —. Tab. 2. fig. 6.

44. Tabanus T. nigrum F.

Fulvus, fascia thoracis anoque fuscis; alis flavicantibus: costa, fascia, vittisque duabus fuscis. Longit. lin. $5\frac{1}{4}$. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 101. 58. Tab. T. nigrum: fulvus ano fusco alis albis: costa strigaque postica fuscis.

Statura praecedentium (T. cervicornis, damicornis). Antennae rufae, apice nigrae dente incurvo. Caput ferrugineo-tomentosum: macula triangulari glabra, atra. Thorax tomentoso ferrugineus. Abdomen ferrugineum ano fusco. Alae albae costa, striga linea ad marginem exserente fuscis. Pedes flavi.

Antennae ferrugineae apice nigrae. Palpi ferruginei; hypostoma tumidum, glabrum. Frons callo trigono fusco. Thorax fusco-hirtus fascia inter alarum basin. Scutellum ferrugineo-fuscum. Abdomen fulvo-hirtum: segmentum 3. punctis duobus fuscis; 5. et sequentia omnino fusca. Alae limpi-

do-flavicantes, area costali lineaque stigmatica saturatius flavis. Fascia obliqua fusca versus alarum apicem a margine interno, quem non penitus attingit, ad costam ducta, ibique flexa usque ad apicem extremum procedens. Ab hac fascia vitta fusca super ramum internum furculae apicalis ad apicis marginem internum producitur. Vitta alia in angulo venarum longitudinalium ultimarum ad marginem alae internum sita est. Pedes fulvo-ochracei, pedum anticorum tibiae tarsique ferrugineo-fuscana. Mus. Fabr. et n.

45. Tabanus damicornis F.

Nigro-fuscus, thorace fasciis duabus auratis, abdominis basi pallidiore. Longit. lin. 5. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 101. 36. Tab. damicornis: thorace fulvo: fascia nigra, abdomine nigro basi glauco.

Statura et summa affinitas T. cervicornis, at alius et distinctus. Antennae nigrae, basi ferrugineae, dente incurvo at minore. Caput cinereum puncto magno frontali elevato, glabro, atro. Thorax tomentoso aureus: fascia lata scutelloque atris. Abdomen nigrum, primo segmento toto, secundo margine glaucis, reliquis margine parum albido. Pedes nigri, tibiis anticis quatuor albidis. Alae albo nigroque variae.

Antennarum dens incurvus, seu ramus, minor quam T. cervicornis, tamen multo maior quam in plerisque huius generis speciebus. Hypostoma et frons flavicantia, illud callo seu tuberculo medio glabro ochraceo, haec linea glabrata infra in callum nigrum dilatata. Thoracis fascia prima ante medium sita et utrinque dilatata, secunda basin tenet; pleurae flavae, aurato-hirtae; ab alarum insertione ad humeros vitta fusca; scutellum fuscum. Segmentum abdominis 1. et 2. minime glauca, verum dilutissime fuscana, marginibus apicalibus late subalbidis; reliquorum incisurae parum albidae. Reliquiae supersunt pilorum albicantium in marginibus

segmentorum apicalibus; segmentum 1. et segmenti secundi dimidium posticum in speciminibus intactis verosimiliter obsita sunt hirsutie albida. Alae limpidae, fascia obliqua lata irregulari ab apice versus marginem internum tendente, macula in vena connectente anteriore et vitta ad venam penultimam fuscis; squamae et halteres fusca. Pedes nigro-fusci, tibiis anterioribus albidis. Mus. Fabr.

Annot. Si thoracem cum Fabr. aureum dicere velles, non fasciam unam, verum fascias duas latas fuscas concedere deberes.

46. Tabanus macularis F.

Fusco-nigricans, thorace vittis abdomine maculis utrinque albidis. Longit. lin. 5½. ♀. Marocco.

> Fabr. Ent. syst. IV. 370. 36. Tab. mac. fuscus thorace lineis dorsalibus, abdomine maculis lateralibus pallidis.
>
> Paullo maior T. pluviali. Antennae cinereae, apice nigrae. Caput cinereum vertice fusco. Thorax tomentosus, fasciis lineis quatuor albidis. Abdomen tomentosum, fuscum primis segmentis utrinque macula marginali albida, subtus segmenta margine ciliato. Pedes nigri tibiis ferrugineis. Alae albidae striga undata, fere obsoleta in medio, fusca.
>
> Fabr. Syst. Antl. 103. 43.

Antennarum articulus 1. glaucus, 2. fuscanus, 3. niger; hypostoma glaucescens pilis dilute flavidis. Palpi helvi. Frons infra glauca callo transverso fusco, supra albicans macula obsoleta e pilis saturatius flavidis. Thorax fusco-nigricans vittis quatuor glauco-albidis et hirsutie fulvida; scutellum fusco-nigricans; pleurae glaucescentes; abdomen nigricans, singulo segmento utrinque macula albida, in posterioribus magis obsoleta; hirsutie dilute fulva inter maculas coloris fundamentalis albidas in singulo segmento maculam obsoletissimam triangularem formante, et margines segmentorum instar cilium ornante. Ventris incisurae ochrascentes ciliis fulvis. Alae subturbidae, stigmate venarumque transversa-

rum limbo obsoletiore fuscis. Femora obscure glaucescentia, tibiae ochrascentes; tarsi fusci. Mus. reg.

47. Tabanus tibialis F.

Chalybeo-violascens, alis nigro-fuscis, apice limpidis, tibiis incrassatis. Longit. lin. $5\frac{1}{4}$. ☿. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 102. 39. Tab. tibialis: ater alis apice albis, tibiis incrassatis.

Medius caput atrum antennis nigris. Thorax niger obscurus. Abdomen atrum, cyaneo nitidum. Alae basi atrae punctis duobus minutis hyalino albis, apice albae. Pedes atri tibiis omnibus crassis gibbis.

Statura aliis robustior. Antennae validissimae basi violascentes articulo apicali nigrae. Palpi violascentes; hypostoma et frons nigra, haec vitta glabrata. Thorax detritus violascente-nigricans, vittis linearibus obsoletissimis albidis; scutellum margine dilutius; pleurae et pectus violascentia, fusco-hirta; abdomen chalybeo-violascens. Alae ultra dimidium fusco-nigrae, puncto minuto ad basin, maiore subquadrato et vittula in medio versus marginem externum limpidis. Pedes chalybeo-violascentes, nigro hirti, tibiae ciliatae. Mus. Fabr.

48. Tabanus cinereus *mihi.*

Dilute cinereus, thorace vittis fuscis, abdominis segmentis fusco-quadrimaculatis, alis limpidissimis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. ♀. Amer. mer.

Affinis scalari, at abdominis maculae minores. Antennae nigrae crassae; palpi dilutissime helvi, hypostoma et barba alba. Callus frontalis obscure brunneus magnus, frons cinereo-albida. Thorax cinereus vittis quatuor fuscis quarum internae linea cinerea tantum sunt separatae, (aut si mavis thorax fuscus linea media vittisque lateralibus cinereis) Pleurae fere albidae; scutellum cinereum. Abdo-

men cinereum segmentis singulis maculis quatuor fuscis basin segmentorum attingentibus, quarum interiores subtrigonae apicem versus plus minus divergent. Segmentum 7 ultimum, macula unica media. Venter medio helvus. Alarum venae et linea stigmatica fuscae, halteres albi. Pedes rufescentes, femora multo obscuriora; albo hirti; tibiarum apex extremus et tarsi fusco-nigri, in tibiis mediis nil fusci. Mus. de Winthem.

49. Tabanus curvipes *mihi.*

Fulvus, thorace vittato, abdomine ferruginoso vitta sulphurea; alis apice fuscis, tibiis anticis incrassatis. Longit. lin. 5. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 107. 3. Haematopota curvipes: fulva alis albis, apice fuscis, tibiis anticis subclavatis.

Statura praecedentium (H. pluvialis, roralis). Antennae elongatae flavae. Caput flavum: puncto medio atro. Thorax fulvo-sublineatus. Abdomen fulvum: linea dorsali albida, ano obscuriore. Alae albae apice late fuscae. Pedes flavi, tibiis anticis incurvis, subclavatis atris.

Antennae ferrugineae; palpi ferruginei; hypostoma glabratum fuscum; genae laete flavicantes; frons subcitrina, medio albicans, inferne callo fusco ovali. Thorax vitta media fusca, linea longitudinali sulphurea divisa, postice utrinque vitta alia fusca coniuncta, cuius extremitas antica interrupta, a vitta media linea sulphurea latiore seiuncta et quasi flavedine obducta est. Pleurae fulvae macula magna fusca opalino-micante; scutellum fuscum. Abdomen fere melleum, segmentis ultimis tribus utrinque fuscanis. Alae flavicante-limpidae, linea stigmatica mellea, apice fuscanae; halteres mellei, capitulo albido. Pedes mellei, femora antica apice tibiae et tarsi antica omnino fusca; pedum intermediorum tibiae et tarsi basi alba; tibiae posticae fuscae; tarsi postici desunt. Mus. Fabr.

50. Tabanus fumatus *Hgg.*

Totus glandicolor; alis flavicantibus, costa apiceque fuscis; tibiis albis. Longit. lin. 5. ♀. Brasilia.

Antennae solito longiores ochraceo-fuscae apice nigrae, basis articuli tertii dente minuto instructa; hypostoma cinerascens utrinque puncto fusco glaberrimo; genae canescentes; oculi aurati, frons cinerea, linea glabrata, sensim in callum nigro-fuscum dilatata. Thorax obscure glandicolor vix certo situ vittis duabus albicantibus. Pleurae albido-pruinosae. Halteres fusci. Pedes fusci; tibiae albae apice excepto. Mus. Hgg. et n.

51. Tabanus capensis *mihi.*

Niger flaviante hirtus; abdominis basi utrinque ferruginosa, incisuris flavicantibus, fulvo-pilosis; tibiis ochrascentibus. Longit. lin. 5. ♂. Prom. b. sp.

Affinis T. auripilo M. at minor. Antennae nigrae, basis articuli tertii ochracea, palpi flavicantes; barba fulvescens; hypostoma griseum; oculi griseo-hirti, bifasciati, fasciis extrorsum connexis. Thorax niger, nitens, unicolor, hirsutie longa tenui flavicante; pleurae densius flavicante-hirtae. Abdomen utrinque macula ferruginosa supra segmenta 1—3. extensa; venter pallide rubidus incisuris flavicantibus, ima basi et segmentis tribus apicalibus nigricantibus. Alae limpidae area costali et limbo venarum connectentium mediarum flavicantibus; stigma nigro-fuscum; halteres flavicantes capitulo fusco äpice albido. Femora nigra, tarsi nigri, basi ochraceo-fusci. Mus. Westermanni.

52. Tabanus caiennensis F.

Niger, fulvo-hirtus; abdominis basi ferruginea; alis sublimpidis. Longit. lin. 5. ♂. Caienna.

Fabr. Ent. syst. 366. 19. Tab. caiennensis: oculis antice fuscis postice viridibus, abdomine atro:

segmento secundo tertioque fulvis, reliquis margine albis.

Parvus. Antennae fulvae. Os cinereum proboscide nigra. Oculi virescentes margine antico late fusco. Thorax obscurus, fulvo pubescens. Abdomen atrum segmentis 2. 3. fulvis, immaculatis, reliquis margine albis. Alae albae immaculatae. Pedes nigri, femoribus posticis rufis.

Fabr. Syst. Antl. 98. 22. Tab. caiennensis.

Antennae ochrascentes; palpi silacei. Abdominis segmentum 1. utrinque ardentissime ferrugineum, minima parte media tantum nigro-fuscum; segmenta 2. 3. tota ardentissime ferruginea; 4. medio fuscum lateribus sensim ferrugineum; reliqua fusco-nigra, incisuris dilute ferrugineis aureolo ciliatis. Alarum area costalis flavicans; squamae et halteres fusco-cinerascentes. Pedes antici fusci, femoribus apice, tibiis basi late albidis; medii obscure ferruginei, basi tarsisque fuscis; postici fusci femoribus obscure ferrugineis. Mus. Fabr.

53. Tabănus stigma F.

Thorace fuscano, albido-vittato; abdomine cinerascente-albido, vitta alba maculisque fuscis; alis subquadri-punctatis. Longit. lin. $4\frac{3}{4}$. ♀. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 104. 50. Tab. stigma: cinereus, thorace lineato, abdomine vitta media alba fusco punctata, alis puncto distincto nigro.

Statura parva T. trivittati. Antennae ferrugineae apice nigrae. Os albo villosum. Thorax cinereus lineis 4 latis fuscis. Abdomen cinereum: linea media alba, segmento singulo puncto marginali ad lineam mediam fusco. Alae albae costa cinerea punctoque parvo distincto versus apicem nigro.

Hypostoma cano album; palpi dilute helvi; frons griseola, lineola obsoleta a medio ad callum quadratum fusco-nigrum descendente, macula fuscana media certo situ fere evanescente, aliaque gemina saturatiore in vertice. Thorax fuscanus vittis tribus marginibusque lateralibus albidis; pleurae cano-albicantes.

Abdomen certo situ utrinque in singulo segmento fascia ante incisuram fuscana, quae in primo antice emarginata est; in segmento 2. accedit fascia baseos; in sequentibus fasciae certo situ in maculas duas subtrigonas resolutae videntur; incisurae et margines laterales flavicantes. Alae sublimpidae linea stigmatica flavicante; venae connectentes fusco-limbatae, unde apparentia punctorum, quorum id apice proximum prae ceteris conspicuum. Pedes helvi, anticorum femora et tibiae apice parum, tarsi sensim late fusca. Mas feminae simillimus, nisi quod colores sint dilutiores. Oculorum triens inferior colore multo obscuriore eoque linea distincta definito à reliqua parte differt. Mus. Fabr. et Hgg.

54. Tabanus iavanus F.

Thorace nigro albo-lineato, lateribus helvo; abdomine fusco lateribus ferrugineo, maculis mediis trigonis albis; alis fusco-maculatis. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♀. Iava.

Fabr. Syst. Antl. 103. 46. Tab. iavanus: thorace lineato, abdominis maculis dorsalibus triangularibus albis, alis maculatis.

Praecedentibus (T. vittatus, longicornis) minor. Caput villosum album. Thorax fuscus, albo lineatus. Abdomen fuscum macula magna triangulari in dorso singuli segmenti. Corpus pallidum ano obscuriore. Alae aqueae: maculis 5 nigris a nervorum anastomosi. Pedes testacei.

Caput totum rubido-albidum; barba alba; frons vitta glabrata badia infra in callum latiorem terminata. Thoracis discus niger, lineis tribus albidis, latera subhelva, vittula pone suturam solitam nigra; pleurae subhelvae; scutellum nigrum. Abdominis primum segmentum fuscum lateribus ferruginosum; 2. basi fascia interrupta albida, apice fascia sinuata albida medio maculam trigonam emittente; 3—6. singula apice fascia albida simili et macula trigona maiore; in segmento ultimo 7. vix margo albicans;

in tribus posterioribus nil ferruginei. Venter subhelvus, versus apicem fuscanus, incisuris albidis. Alae sublimpidae, vittula stigmatica, maculisque 4 fuscis. Pedes rubidi; tarsi sensim fusci; pedes antici in unico specimine Musei Fabr. desunt.

55. Tabanus Ianuarii *mihi.*

Flavidus; thorace abdomineque fusco fasciatis; alis ad costam late fuscis, macula silacea, fascia obliqua punctoque fuscis. Longit. lin. $4\frac{1}{4}$. ♀. Rio Ianeiro.

Wiedem. zool. Mag. III. 43. No. 4.

Habitus T. cervicornis, at minor. Antennae fuscano-flavae; articuli tertii basis dente s. potius spina elongata, apex nigro-fusca; hypostoma flavicans; palpi grisei; frons pone antennas ferruginosa superne flavicans; callus frontalis nigro-fuscus, subtrigonus. Thorax ochrascens, fascia inter alas fusca lata, antice sinuata, altera in ima basi, scutellum includente; inter has vittas pili fulvi; pleurae dilutissime sulphurescentes. Abdomen flavicans fasciis tribus fuscis in basi segmentorum 2—4; ceterum fulvo-hirtum. Alarum fascia obliqua supra venas connectentes apice proximas; macula silacea a venis connectentibus mediis usque ad apicem venae cubitalis extensa; punctum fuscum in angulo venarum duarum penultimarum ad alae marginem internum; hic margo usque ad alae apicem dilutissime fuscanus, ante apicem in cellula furcae apicalis macula s. gutta sublimpida; halteres flavi. Pedes dilutissime mellei, tarsi antici nigro-fusci; tibiae et tarsi postici fusca sed minus obscura. Mus. n.

56. Tabanus ferrugatus *mihi.*

Thorace glauco, limbo ferrugineo; abdomine ferrugineo, apice fusco; alis medio apiceque fuscis. Longit. lin. 4. ♀. Carolina.

Fabr. Syst. Antl. 111. 2. Chrysops ferrugatus: ferrugineus, thorace limbo [disco] anoque fuscis, alis maculis duabus fuscis.

Statura parva Ch. coecutientis. Antennae flavae, apice fuscae. Thorax disco fusco limbo ferrugineo. Abdomen ferrugineum ano fusco. Alae hyalinae: maculis duabus marginalibus magnis fuscis. Pedes ferruginei.

Antennae ferrugineae apice sensim fuscae; palpi ferruginei; hypostoma fuscanum, genae glaucescentes; frons cinereo-flavicans, inferne puncto calloso fusco; scutellum et pleurae ferruginea. Abdomen ferrugineum fulvo-hirtum, versus apicem sensim fuscum, incisuris ferrugineis. Alae flavicante-limpidae, apice extremo fusco, versus marginem internum dilutiore; linea stigmatica et venae connectentes huic proximae fuscae. Pedes ferruginei; tibiae anticae compresso dilatatae fuscae. Tarsi fusci. Mus. Fabr.

57. Tabanus nanus *mihi.*

Nigricans; abdomine fusco, trifariam maculato, maculis mediis et incisuris albidis; tibiis tarsisque ochraceis. Longit. lin. 4. ♀. Prom. bon. sp.

Summa affinitas T. borealis. Antennae basi fuscae, articulo tertio ardentissime ferrugineo apice nigro; hypostoma glaucescens, barba albida; palpi pallide fuscani; frons canescens, vitta glabrata fusca inferne sensim dilatata. Thorax nigricans, vitta lineari media fusca lateralibusque albidis obsoletis; latera thoracis fuscana; pleurae schistaceae, albido-hirtae. Abdomen fuscum vitta media e maculis triangularibus albidis, et laterali utrinque e maculis subquadratis canis; margines segmentorum laterales flavo-fuscani. Alae limpidissimae stigmate nigro-fusco; halterum pedicellus flavicans, capitulum subtus fuscum, supra albidum. Femora antice nigro-fusca. Mus. Westermanni.

58. Tabanus bicolor *mihi.*

Glauco-olivaceus, antennis pedibusque ferrugineis, abdomine ferrugineo vitta olivacea. Longit. lin. 4. ♂. America borealis.

Hypostoma dilutissime virescens. Stethidium pilis rarioribus in pleuris densioribus ferrugineis hirtum. Abdominis vitta ad basin latior, versus apicem sensim angustata; venter omnino ferrugineus. Alae limpidae, venis ferrugineis; halteres flavido-albi. Pedes dilute ferruginei. Mus. de Winthem.

59. Tabanus globicornis Hgg.

Fuscus; abdomine vitta media alba; alis costâ apiceque fuscis; antennarum articulo secundo globuliformi. Longit. lin. $3\frac{1}{3}$. ♀. Brasilia.

Antennarum articuli duo basilares glabrati fusco-nigri, articulus apicalis ferrugineus compresso-dilatatus, absque dente; palpi dilutissime helvi; hypostoma canum; frons canescens macula media fusca calloque glabrato transverso. Thorax certo situ antice caesius, albo-trivittatus. Abdomen vitta lata albida, incisuris parum albidis; hic illic hirsutiei flavicantis in abdomine vestigia. Alae sublimpidae, area costali apiceque fuscae; linea stigmatica venisque connectentibus saturatius fuscis. Femora fuscana; tibiae plus minus flavo-albidae, apicibus exceptis; tarsi antici toti, posteriores maxima parte apicali fusci. Mus. Hgg. et n.

HAEMATOPOTA.

Antennae porrectae, triarticulatae articulo 1. cylindrico aut ventricoso; 2. cyathiformi; 3. subulato quadrannulato.

Palpi exserti biarticulati: articulo 2. conico.

Ocelli nulli.
Alae parallelae deflexae.

1. Haematopota roralis F.

Fusco-cinerascens, thorace abdomineque albido-vittatis, alis limpido punctatis. Longit. lin. 4⅔. ♀. Tranquebar.

Fabr. Syst. Antl. 107. 2. Haematopota roralis: alis albo punctatis, abdomine fusco: lineis tribus e punctis albidis.

Affinis H. pluviali. Antennae elongatae, flavae. Caput cinereum punctis duobus frontalibus atris. Thorax obscurus, cinereo lineatus. Abdomen elongatum, fuscum: lineis tribus e maculis albidis. Lineae mediae [Lin. media] e maculis linearibus. Alae obscurae punctis lineolisque numerosissimis albis. Pedes testacei.

Specimini Mus. Fabr. caput deest et abdomen contusum attamen a H. pluviali facile distinguendum pedibus fusco-ochraceis uni-coloribus, haud variegatis et alarum area costali lineaque stigmatica badiis. Incisurae abdominis rubido, ventris griseo-albidae.

2. Haematopota crassipes F.

Picea, alis ad costam fuscis albo-septempunctatis, tibiis anticis compresso-dilatatis. Longit. lin. 3. ♀. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 108. 4. Haem. crassipes: atra alis ad marginem crassiorem fuscis albo punctatis, tibiis compresso-incrassatis.

Statura praecedentis (Tab. curvipedis m.) at paullo minor. Caput atrum, antennis ferrugineis. Thorax et abdomen atra, immaculata. Alae ad marginem crassiorem, usque ad medium fuscae punctis aliquot minutis, albis. Pedes atri, tibiis incurvis incrassato-compressis. Tarsi basi albi.

Caput ubique nigrum nitens; supra eminentiam cui insident antennae punctum elevatum; vertex

sine nitore. Reliquum corpus vere piceum; in thorace residuum tomenti ferruginei apparet. Alarum pars fusca ante apicem, ubi marginem internum tangit abrupte terminatur linea recta a margine externo ad internum descendente, pone hunc marginem linea limpidissima; reliqua pars apicis cinerascens. Mus. reg.

3. Haematopota podagrica F.

Nigra, thoracis limbo ferrugineo, abdomine basi flavo, macula dorsali apiceque nigris; alis apice fuscis, tibiis posticis incrassatis piceis. Longit. lin. $3\frac{2}{3}$. ♀. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 108. 5. Haem. podagrica: Nigra thoracis limbo, abdominisque basi ferrugineis, alis albis, apice fuscis, tibiis posticis incrassatis atris.

Parva. Antennae nigrae, basi flavae. Caput flavum, labio punctoque frontali atris. Thorax niger limbo scutelloque flavis. Abdomen basi flavum, dorso apiceque nigris. Alae albae, apice fuscae. Pedes flavi tibiis anticis vix incrassatis, posticis incurvis, crassioribus atris, tarsisque niveis.

Antennae flavae apice sensim fuscescente. Hypostoma aureum. Pedum anticorum tibiae et tarsi non flavi verum picei; posticorum tibiae non atrae; intermediorum et posticorum tarsi non nivei verum albi apicibus flavicantibus. Mus. reg.

4. Haematopota longicornis *mihi* *).

Gracilis, nigra, orichalceo-lineata; alis costa lunula vittaque fuscis. Longit. lin. 6. ♀. Brasilia.

---

*) Haec species anomala generibus pluribus tam affinis, ut haesitare possis cui adnumeranda sit. Capitis forma et structura Chrysopi proxima, at ocellis caret. Antennae ab omnibus Tabaniis eo diversae quod articulus est tertius fusiformis, sexannulatus: ceterum basi unispinosus spina longa incurva. Antennarum longitudo

Fabr. Ent. syst. IV. 371. 38. Tabanus longicornis: oculis maculatis, alis dimidiato fuscis: macula alba, antennis longioribus.

Reliquis minor, antennae elongatae, cylindricae longitudine thoracis, in medio unidentatae fuscae, basi pallescentes. Oculi basi fusci, apice pallidiores arcu maculaque fuscis. Thorax fuscus lineis dorsalibus flavis, quae tamen basin haud attingunt. Scutellum flavescens. Abdomen cylindricum fuscum segmento primo et secundo basi striga flava. Alae ad marginem crassiorem fuscae macula magna, media, triangulari, alba.

Fabr. Syst. Antl. 103. 45. Taban. longicornis.

Antennarum basis flavo-fusca, apex niger. Hypostoma flavo-album, callo nigro triangulari apice ad antennarum basin sito et utrinque punctis duobus nitentibus nigris. Frons flavicans, pone antennas callo subquadrato nigro in quo utrinque tuberculum subrotundum; supra hunc callum et vittulam cum eo cohaerentem alius oblongus usque ad occiput extensus, medio lineola flavicante transversa divisus. Thorax nitens niger lineis duabus longitudinalibus orichalceis; ante et paulo supra alarum basin macula pilosa orichalcea a qua vitta orichalcea sub alae basi oblique versus posteriora tendit. Scutellum orichalceo-hirtum. Abdomen non saturate sed nitide-nigrum, incisuris tribus anterioribus flavis in ventre quoque conspicuis; in margine laterali segmenti primi punctum transversum flavum. Alae limpidae, margine externo flavo-fusco cum quo macula lunata magna obliqua coniuncta est, cuius concavitas apicem alae respicit; ab alarum basi vitta obliqua fusca (basi flavicans) ad extremitatem internam lunulae producitur in vena ultima longitudinali cum lunula coniuncta, ita ut triangulus limpidus spatium teneat

---

stethidium aequat, articulus 1. quintam partem longitudinis tenens cylindricus, basi paulo angustior, at minime ventricosus; 2. dimidio minor, subcyathiformis. Venae alarum sicuti in Haematopota.

inter partes alarum fuscas. Pedes fusci, tibiarum basis alba, articulus tarsorum primus flavo-fuscanus. Mus. nostrum.

5. Haematopota iavana *mihi.*

Griseo-fuscana; abdomine vitta maculari albida, incisuris et femoribus parum rubidis; alis ocellis et punctis albidis. Longit. lin. 4. ♀. Iava.

H. pluvialis maxime affinis. Antennae et callus frontis ochracea; hypostoma canum utrinque macula atra; iuxta antennas in fronte punctum atrum, praeterea puncta duo ocellata solita superiora. Thorax griseo-fuscanus vittis tribus linearibus et lateribus albidis. Abdomen paulo obscurius fuscanum, segmenti primi margo posticus latius rubidus, medio puncto triangulari cano cuius latera rubidum concomitatur; segmenta 2. 3. macula media anguste triangulari et utrinque laterali canis; reliquis macula media tantum albida seu canescente. Venter canus vitta latissima nigricante, incisuris parum rubidis. Alarum pictura a H. pluviali vix diversa. Femora pallidissime rubida albo hirta, apicibus supra fuscis; tibiae posteriores fusco-trifasciatae, anticae fuscae basi tantum albidae; tarsi fusci. Mus. Westermanni.

6. Haematopota ocellata *mihi.*

Cinereo-nigricans; thorace vittis, abdomine maculis albis; alis fuscanis ocellis pluribus albidis. Longit. lin. 4½. ♀. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 38. 56.

Antennae ferruginosae, extremo apice fusco-nigrae; forma ad amussim similes H. pluviali. Palpi helvi. Hypostoma et genae dilute canae, illud punctis 4, hae strigis duabus nigris. Frons medio nigra, ambitu ferruginosa, maculis ocellaribus tribus solitis. Callus frontalis transversim oblongus ferruginosus, puncto medio pone antennas nigro. Tho-

rax cinereo-nigricans vittis tribus albidis quarum externae vel post detritionem puncta dua in sutura transversa relinquunt; margines laterales sicuti pleurae dilute fuscanae. Abdomen cinereo-nigricans; incisuris, maculis binis singulorum segmentorum lineaque media inter maculas ad apicem singuli segmenti paulo dilatata albidis. Alae orbiculis maioribus minoribusque albis medio fuscis, quorum duo in alae disco rosam referunt. Halteres albi. Pedes fusci, tibiarum annuli duo et tarsorum posteriorum articulus primus basi albi. Mus. n.

7. Haematopota nigra *mihi.*

Nigra, thoracis margine postico, scutello, abdominisque incisuris albidis; alis infumatis, albidopictis. Longit. lin. 4. ♂. Iava.

Antennae ochraceae; hypostoma cano-album, albo-hirtum, utrinque inter antennas et oculos macula atra; frons iuxta antennas macula nigra. Thorax niger et nigro-hirtus, lateribus fuscis, margo posticus et scutellum albido-hirta. Abdomen basi parum ochraceum; venter totus fere rubido-ochrascens. Alae medio fascia retrorsum convexa alba puncta obsolete fuscana includente, pone stigma pictura transversim lambdoidea, praeterea lineolis punctisque albidis plurimis; halteres flavicantes capitulo fusco. Pedes flavido-nigroque alternatim fasciati. Mus. Westermanni.

CHRYSOPS.

Antennae porrectae, cylindricae, triarticulatae: articulis duobus inferioribus aequalibus; tertio longiore quinquannulato.

Palpi exserti, biarticulati, pilosi: articulo 2. conico.

Ocelli tres.
Alae divaricatae.

1. Chrysops dispar F.

Thorace nigricante glauco-vittato, abdomine ferrugineo basi pallido: maculis duabus antice coniunctis fuscis, alis costa fasciaque fuscis. Longit. lin. 4 — $4\frac{3}{4}$. ♂. ♀. India orient.

Fabr. Ent. syst. Suppl. 567. Tabanus dispar: abdominis primo segmento pallido: lunula nigra, alis albis: fascia atra.

Antennae testaceae, apice fuscae. Caput sub antennis flavum maculis duabus magnis, elevatis, ovatis, testaceis, pone antennas pallidum macula magna transversa elevata atra. Thorax cinereus lateribus flavis. Abdomen fuscum segmento primo pallido: macula media lunata fusca. Alae albae costa fasciaque media lata nigris et in hac fascia ad marginem tenuiorem macula ovata alba.

Fabr. Syst. Antl. 112. 5. Chrys. dispar: abdominis segmento secundo pallido: lunula nigra, alis albis fascia atra.

Antennae ochrascentes apice fuscae, hypostoma ferruginosum linea media dilutiore. Genae dilute ferrugineae puncto fusco glabro. Frons flavicans, in femina callo ovali transverso fusco pone antennas. Thorax fuscus vittis duabus glaucis linea fusca disiunctis, aureo hirtus. Pleurae fuscae vitta aurata sub alarum basi. Scutellum ferrugineum. Abdomen maris ferrugineum, incisura prima medio fusca; segmento secundo pallido, maculis duabus fuscis versus basin segmenti in angulum paulo rotundatum coniunctis, basin ipsam non attingentibus, postice ad basin segmenti tertii continuatis. Abdominis margines laterales fusci, in ventris medio fascia abbreviata fusca. Abdomen feminae magis fuscanum, primum segmentum pallidum incisura medio fusca; secundum pallidissimum antice subalbicans maculis uti in mare sed in tertium segmen-

tum non continuatis. Incisurae omnes late pallidiores. Alae limpidissimae, ad costam a basi usque ad apicem fuscae; retro venas transversas baseos fasciola fusca parum obliqua; fascia maior ad marginem alae internum profunde incisa est. Pedes ardentissime ferruginei. Mus. Fabr.

2. Chrysops tristis F.

Fuscus, thorace albido-lineato, abdomine guttato, alarum basi, costa et fascia abbreviata fuscis. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♀. Caienna.

Fabr. Ent. syst. Suppl. 567. 44. Tabanus tristis: fuscus thorace albo lineato, abdomine punctato, alis fascia abbreviata nigra.

Antennae testaceae, apice nigrae. Caput nigrum. Thorax fuscus albo lineatus. Abdomen fuscum lineis 5 punctorum alborum. Alae albae, costa fasciaque, marginem tenuiorem haud attingente nigris.

Fabr. Syst. Antl. 112. 6. Chrysops tristis.

Caput fuscanum; antennae ochraceae; palpi fuscani; hypostoma callo trifoliato ochrascente; frons callo seu tubere transverso ovali fusco. Thoracis lineae duae cum vittis lateralibus antice coniunctae. In singulo segmento abdominis guttae subalbidae 5. media triangulari, caeteris subquadratis; illa et lateralibus marginem posticum attingentibus, intermediis maioribus in medio positis; incisurae subalbidae. Venter vitta media subinterrupta nigro-fusca. Alae cinerascentes, fascia versus apicem alae subdentata et limpido-limbata. Pedes ochraceo-fusci apice nigricantes. Mus. Fabr.

3. Chrysops fasciatus *mihi.*

Thorace nigro; abdomine basi albo, medio nigro, apice ochraceo; alis basi costa fasciaque fuscis. Longit. lin. $4\frac{1}{3}$. ♀. Iava.

Antennae fuscae, articulus tertius apice ater; hypostoma fulvum, callo trifoliato fusco-nigro, vitta

fulva usque fere ad apicem bipartito; frons glauca callo nigro. Thorax pilis brevissimis fulvis; pleurae hirsutie densa fulvo-sericante. Abdominis segmenta 1. 2. alba, hoc margine postico nigro; 3. nigrum puncto medio et macula utrinque apicis marginem lateralem non attingente, ochraceis; 4. et 5. ochracea marginibus lateralibus nigris; 6 et 7. tota ochracea. Alae limpidissimae, fascia solita, margine interno vix excisa. Pedes fusci, femoribus obscurioribus, tarsis dilutissimis; tibiae tarsique antica nigricantia; tibiae posticae nigro-ciliatae. Mus. Westermanni.

4. Chrysops costatus F.

Silaceus, thorace vittis tribus, abdomine duabus, his apice bipartitis, fuscis; alis fascia fusca, macula excisuraque limpidis. Longit. lin. 4. ♀. America merid.

Fabr. Ent. syst. IV. 373. 45. Tabanus costatus: thorace abdomineque flavis nigro lineatis, alis costa flava apice fusca.

Statura omnino praecedentium (T. moerens, fenestratus). Antennae testaceae. Caput albidum ore punctisque duobus magnis, elevatis, atris. Thorax flavus lineis tribus nigris. Scutellum flavum, nigro marginatum. Abdomen flavum lineis 4 nigris. Alae albae costa flava, apice fusca, quae in medio lituram latam, fuscescentem emittit.

Fabr. Syst. Antl. 112. 8. Chrysops costatus: thorace abdomineque flavis nigro lineatis, alis fascia fusca: maculis duabus albis.

Statura omnino praecedentium. Antennae elongatae flavae, apice fuscae. Caput flavum. Thorax flavus lineis tribus nigris. Scutellum obscurum. Abdomen flavum utrinque linea angulari fusca. Alae albae: fascia lata in medio fusca punctis duobus albis, apice fuscescentes.

Palpi ferruginei. Anntennae fusso-flavicantes; callus hypostomatis et frontis flavo-fuscani. Frons silacea. Thoracis vittae minime nigrae, verum dilute

fuscae. Abdominis vittae saturatius fuscae a segmento secundo incipientes, postice bifurcatae ramo externo usque ad quintum, interno ad quartum segmentum producto. Alae limpidae: basi, costa, apice fasciaque dilute fuscanis; inter fasciae latae marginem posticum rectum et apicem alae fascia angusta limpida; fasciae latae margo anticus dentatus, venis connectentibus mediis definitus. Pedes pallide ferruginei, tibiarum posticarum tarsorumque omnium apices fussi. Mus. Fabr.

5. Chrysops flavidus *mihi.*

Flavidus, thorace vittis tribus, abdomine maculis duabus antice coniunctis fuscis. Longit. lin. 4. ♀. Savannah.

Anntennarum articuli 1. 2. flavido-fuscani, articuli tertii basis ferruginea, apex ater. Hypostoma et frons pallide flavida, callis melleo-diaphanis. Thorax flavidus vittis tribus fuscanis; ab alarum insertione ad humerum vitta fuscana, in pleuris vitta similis; pectus fuscanum. Abdominis segmentum 1. pallide flavicans in baseos medio ferrugineum; segmentum 2. pallide flavicans: arcu fusco apicem versus dilatato, in segmentum 3. continuato ibique finito; segmentum 3. et sequentia ferruginea, incisuris pallide flavicantibus. Venter ferrugineo-flavidus incisuris pallidis. Alae limpidae, costa usque ad apicem late, et fascia lata fuscis; apicis margo internus parum infumatus; stigma in ferrugineum migrans; discus cellularum super quas extensa est, minus fuscus. Pedes melleo-flavidi, tarsorum posteriorum apices, tarsi antici omnino fusci. Mus. Westermanni.

6. Chrysops bicinctus *mihi.*

Niger, thoracis maculis, scutello, fasciisque duabus baseos abdominis albidis, alis costa fusca. Longit. lin. $3\frac{3}{4}$. ♀. Amer. merid.

Fabr. Syst. Antl. 102. 42. Tabanus bicinctus: ater thorace albo maculato, abdominis segmentis duobus anterioribus albis.

Caput albidum puncto in medio frontis nigro. Antennae pallidae, apice nigrae. Thorax ater utrinque maculis duabus lateralibus pallidis. Scutellum basi atrum apice album. Abdomen atrum segmentis duobus anticis margine albis. Alae albidae: costa lata, nigra. Pedes nigri, apice albi.

Antennae flavidae apice extremo nigrae; hypostoma canum callo magno fusco; frons cana callo quadrato fusco. Thorax niger, humeris stramineo-albidis, vitta media alba a cuius parte anteriore utrinque linea transversa crassa alba ad humeros tendit; anguli thoracis postici transversim albi; pleurae fusco-nigrae albo-micantes; scutellum stramineo-albidum ima basi nigrum. Abdomen nigrum fascia prima fuscano-albida apice segmenti primi et basi secundi communis, secunda vix latior in apice segmenti secundi. Ventris segmenta 1. 2. fuscano-flavida, cetera nigra. Alae sublimpidae, margine externo, eoque apicem versus latius, limbo venarum connectentium mediarum basique furculae apicalis fuscis. Pedes fusci, tibiis mediis tarsisque posterioribus albis, his apice rursus fuscescentibus. Mus. reg. Havn.

7. Chrysops vittatus *mihi.*

Flavus stethidio abdomineque fusco-vittatis; alis costa, apice, fasciaque fuscis. Longit. lin. 3½. ♀. America bor.

Antennae flavicantes instar corii, apicem versus sensim fuscae; calli hypostomatis fuscani, callus frontalis flavicans. Thorax vittis tribus fuscis, media in scutellum continuata; color inter vittam mediam et vittas laterales antice glaucescens; ab insertione alarum usque ad humeros utrinque vitta fusca, alteraque similis in pleuris ipsis; pectus fuscum. In abdominis tergo vittae 4 fuscae ad incisuras parum

interruptae, quarum mediae sunt ampliores; penultimum et ultimum segmentum tota fusca; in ventre vitta media amplissima a segmento tertio incipiens, et lateralis utrinque multo angustior altius versus basin continuata. Alae limpidae, costa usque ad venam tertiam fusca; inter fasciam et apicem fuscum spatium trigonum bene determinatum aequilaterale limpidum. Pedes ferrugineo-flavicantes; femorum posticorum basis et tibiarum anticarum apex fusca; tarsorum posteriorum apex fuscus, tarsi antici omnino fusci. Mus. de Winthem.

8. Chrysops pellucidus F.

Niger, abdominis segmento secundo basi albo-pellucido; alis limpidis, fascia nigra ad marginem internum excisa. Longit. lin. 3. ♀. Tranquebar.

Fabr. Syst. Antl. 113. 11. Chrys. pellucidus: ater abdominis segmento secundo basi albo pellucido, alis albis: fascia nigra.

Statura et summa affinitas C. disparis, cuius forte mera varietas. Antennae cylindricae nigrae fere longitudine corporis. Caput et thorax nigra immaculata. Abdomen atrum segmento secundo basi albo pellucido, qui color ad latera extenditur. Alae albae: fascia lata media nigra, in qua ad marginem tenuiorem macula alba. Pedes nigri tibiis compressis.

Species distincta procul dubio. Antennae basi flavicantes, lineas $1\frac{1}{2}$ longitudine non superantes; mira inde Fabricii computatio: „Antennae — fere longitudine corporis." Caput canum callis nigris. Thorax nec ater nec plane immaculatus, verum niger lateribus aureo hirtis. Pleurae nigricantes vitta aurata sub alarum basi. Segmenti abdominis secundi pars alba pellucida oblique usque ad marginem posticum fere descendit, ita ut triangulum nigrum in hoc segmento supersit. Alarum margo externus usque ad apicem niger. Pedum geniculi, tarsorumque basis flavicantes. Mus. reg. et Mus. Fabr. (spec. mutilatum.)

9. Chrysops laetus F.

Niger, thorace silaceo-vittato; abdomine vitta maculari incisurisque silaceis; alis basi, costa, fasciaque fuscis. Longit. lin. 3. ☿. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 112. 7. Chrys. laetus: ater thorace flavo-lineato, abdomine linea dorsali segmentorumque marginibus flavis, alis fascia nigra.

Parvus. Antennae flavae, apice nigrae. Caput flavum, macula frontali elevata nigra. Thorax ater, nitidus lineis 4 flavis. Abdomen atrum: linea dorsali subinterrupta segmentorumque marginibus flavis. Pedes nigri, femoribus basi tarsisque apice testaceis. Alae albae costa fasciaque lata nigris et in hac macula magna, marginis tenuioris alba.

Antennae ochraceae versus apicem sensim fuscescentes; palpi ferruginei, hypostoma silaceum callo flavo-fuscano medio. Frons cinerea callo fusco. Thorax quadrivittatus, pleurae silaceo interrupte bivittatae. Scutellum nigrum. Abdomen vitta media e maculis triangularibus composita; segmentorum margines laterales quoque silacei. Segmentis duobus ultimis maculae mediae desunt. Alae limpidissimae; fasciae margo posticus rectus, margo internus profunde et oblique excisus. Pedes minime nigri verum fusci, femoribus apice, tarsis basi dilutioribus. Mus. Fabr.

10. Chrysops obsoletus *mihi.*

Fuscus, thorace quadrivittato; abdomine vitta abbreviata, maculaque utrinque longitudinali; alis costa, fascia lata apiceque fuscis. Longit. lin. 3. ♀. Georgia Americes.

Antennae submelleae, articulo apicali fusco-nigro. Hypostoma melleum; calli hypostomatis et frontis fusci. Frons flavicans. Thorax fuscus vittis mediis subglaucis, lateralibus stramineis; pleurae vittis duabus flavis. Abdomen fuscum, vitta media flava angusta postice in lineam subtilissimam

excurrente segmentum quartum vix attingente; macula flava utrinque lateralis segmento primo et secundo insidet. Alarum pictura sicuti in praecedente, sed apex plus fusci habet, ita ut spatium inter fasciam et apicem fuscum lunulam limpidam formet. Pedes mellei, femorum apex posteriorumque basis, tibiae anticae et posticae, tarsi antici omnino, reliquorumque apex fusca. Mus. de Winthem.

11. Chrysops fuliginosus *mihi.*

Niger, fuliginoso-hirtus; alis fuscis, fascia abbreviata lunulaque apicali limpidis. Longit. lin. 3. ♂. America borealis.

Omnino niger, antennarum tarsorum mediorum tibiarumque basi, solis parum flavido-fuscanis, et hypostomate flavicante callis nigris. Alarum fascia in medio sita, externe et interne abbreviata; lunula versus apicem sita; apex introrsum sensim dilutior fusca ut et pars alae interior prope basin. Mus. de Winthem.

12. Chrysops lugens *mihi.*

Niger, thorace flavo-vittato, alis nigris lunula et macula parva hyalinis. Longit. lin. 3. ♂. Savannah.

Antennarum articulus 1. flavidus, 2. et 3. nigri. Hypostoma silaceum, callis duobus nigris. Thorax niger vittis duabus postice abbreviatis obscure flavidis, certo situ magis conspicuis et albicantibus; thoracis margines laterales et vittae duae pleurarum laetius flavae s. silaceae. Abdomen omnino nigrum, in dorso segmenti 2. vix lineola flavida. In ventre basis segmenti 1 utrinque parum flava. Alarum basis dimidio interno sublimpida. Macula parva limpida in medio alae, lunula versus apicem sita, marginem internum versus dilatata; halteres flavidi capitulo fusco. Pedes nigri, femorum apex, tibiarum et tarso-

rum posteriorum basis obscure mellea. Mus. Westermanni.

LEPTIS.

Antennae porrectae, approximatae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; 3. conico, seta apicali.

Palpi exserti, pilosi: articulo secundo elongato.

Ocelli tres. Alae divaricatae.

Leptis ferruginosa *mihi.*

Flavo-ferruginosa; alis flavicantibus apice fuscescentibus. Longit. lin. 4. ♂. Iava.

Wiedem. zool. Mag. III. 4. No. 3.

Omnino ferruginoso-flavicans. Hypostoma canescens; abdominis apex, tibiae et tarsi fuscana. Alae griseo-flavicantes, apice saturatiores, inter venam 2. et 3. color flavicans laetior; stigma nigrofuscum. Mus. Westermanni et n.

THEREVA *Latr.*

Antennae porrectae, approximatae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; 3. conico.

Proboscis retracta.

Ocelli tres. Alae divaricatae.

1. Thereva bilineata *mihi.*

Atra, thorace albido-bivittato, tibiis basi rubiginosis. Longit. lin. $8\frac{1}{2}$. ♀. Nova Zelandia.

Fabr. Syst. Ent. 757. 5. Bibio bilineata: atra thorace lineis duabus albis, tibiis basi ferrugineis.

Caput nigrum, antennis approximatis, filatis. Thorax hirtus, ater lineis duabus dorsalibus albis. Abdomen subconicum, elongatum, atrum. Alae albae margine exteriori atro. Pedes atri tibiis basi ferrugineis.

Fabr. Mant. II. 328. 3. Bibio bilineata.
Fabr. Ent. syst. IV. 255. 5. Mydas bilineata.
Caput nigrum. Thorax etc.
Fabr. Syst. Antl. 66. 1. Bibio bilineata.

Antennae nigrae, orbitae iuxta antennas et genas griseae, occiput canescens. Thorax ater, vittis duabus albidis marginibus lateralibus flexuoso parum albidis. Pleurae fuliginoso-nigrae maculis aliquot albido-micantibus. Scutellum margine album. Abdomen nigrum nitens pube tenui nigra. Alae sublimpidae, venis fusco-nigris, cellula cubitali lineaque stigmatica fuscis. Halteres fusco-nigri. Tibiae rubiginosae apice nigrae. Mus. Fabr.

2. Thereva apicalis *mihi.*

Nigra, thorace albo-bivittato, alis fuscanis summo apice limpidis. Longit. lin. 5. ♀. Rossia mer.

Antennae canescentes; hypostoma niveum; frons callo magno cordiformi nigro; occiput canescens. Thorax niger, nitens, vittis duabus flavido-albis distinctissimis. Pleurae albicantes macula magna glabra. Abdomen nigrum, breviter hirtum, incisura 1. albida, 2. et 3. flavis, reliquis haud distinctis. Alae fuscanae stigmate et venis saturatioribus, summo apice sublimpido; halteres fuscanae. Femora nigra, tibiae et tarsi rufa apice nigra. A *Pallasio* lecta. Mus. n.

3. Thereva punctipennis *mihi.*

Nigricans, flavo-hirta; abdominis incisuris silaceis; alis albidis, stigmate et venis transversis fuscanis. Longit. lin. 4½. ♂. Rossia merid.

Antennae nigricantes, genae caesio-canescentes; hypostoma flavido-hirtum. Thorax detritus lineis duabus albidis; pleurae caesio-canescentes. Abdominis incisurae tergo et ventre anusque silacea. Alae albidae, venis connectentibus et anostomosibus flavido-fuscanis, stigmate silaceo, litura in furculae apicalis ramo externo dilutissime silacea; halteres silacei. Femora nigricantia, tomento flavicante; tibiae et tarsi silacea. A Pallasio lecta. Mus. nostrum.

4. Thereva senilis *mihi.*

Thorace plumbeo, abdomine albo-sericeo, pedibus nigris alis flavicante-limpidis. Longit. lin. 4. ♂. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 68. 10. Bibio senilis: cinerea antennis pedibusque nigris, alis hyalinis.

Statura et magnitudo omnino B. anilis. Caput nigrum cinereo hirtum proboscide antennisque nigris. Thorax et abdomen cinereo villosa, immaculata. Pedes nigri. Alae albo-hyalinae: macula costae oblonga, testacea.

Caput canum, fronte alba sericea. Thorax plumbeus vittis duabus lateribusque obsolete albidis. Pleurae albo-micantes. Abdomen sericeo-album, venter fuscanus, incisuris albidis. Alae limpidae parum flavicantes, venis glandicoloribus, linea stigmatica paulo obscuriore. Mus. Fabr.

5. Thereva albina *mihi.*

Albo-pilosa, abdomine nigro serie punctorum alborum. Longit. lin. $3\frac{3}{4}$. ♂. Iava.

Wiedem. zool. Magaz. III. 3. No. 2.

Antennae nigricantes, albido-pilosae; hypostoma niveo-micans. Thorax fuscano-glaucus, lineis duabus canis; pube tenui albida. Pleurae albidae. Abdomen nigricans, lateribus albido-pilosis, singulo

segmento puncto medio albido. Venter incisuris tantum albo-ciliatis. Alae limpidae; venis et stigmate flavicantibus. Halteres fuscani, capitulo albido. Femora nigra, albo-pilosa ita ut apex tantum niger appareat; tibiae tarsique flavicantia. Mus. n.

6. Thereva pictipennis *mihi.*

Nigricans, thorace vittulis duabus atris, alis fusco-variis. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$. ♀. Savannah.

Antennae nigrae; hypostoma et frontis pars inferior submargaritaceo micantia, vertex glaber niger. Thorax nigricans certo situ dilute coerulescens, antice utrinque vittula brevi atra, omni situ conspicua; scutellum atrum ima basi albicans; pleurae coerulescentes maculis aliquot nigris. Abdomen nigrum certo situ coerulescens. Alae limpidae fasciis duabus apicalibus lituraque disci obsoletiore fuscis, stigmate fusco; halteres nigro-fusci. Femora nigra; tibiae et tarsi posteriores ferruginosa apice fusca; tarsi antici omnino nigri. Mus. Westermanni.

7. Thereva abdominalis *mihi.*

Thorace fuscano obsolete bivittato; abdomine albo-sericeo, tibiis tarsisque ochrascentibus. Longit. lin. 3. ♂. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 68. 12. Bibio abdominalis: fusca abdomine villoso albo, alis obscuris.

Statura omnino praecedentium (B. annulata, senilis). Antennae nigrae. Oculi magni, approximati aurei. Thorax pilosus, fuscus. Abdomen villoso cinereum, conicum. Alae obscurae. Pedes fusci.

Antennarum articulus apicalis ochraceus. Hypostoma canum; frons grisea. Thorax fuscanus, vittis linearibus obsolete albicantibus. Pleurae canescentes. Abdomen nigricans incisuris ochraceis, albo-sericeo-micans. Alae griseo-flavicantes, venis glan-

dicoloribus; halteres ochrascentes. Femora nigra, tibiae tarsique rubido-ochracea. Mus. Fabr.

8. Thereva notata *mihi*.

Thorace canescente, vittato; abdomine argenteo maculis duabus trigonis nigris. Longit. lin. 3. ♂. Savannah.

Antennae nigrae; hypostoma et frons argentea. Thorax canescens vitta media distinctiore, lateralibusque obsoletis nigris; pleurae niveo-hirtae; scutellum album. Abdomen subargenteo micans, segmentum 4. utrinque macula magna trigona, nigra, glabra, cuius apex occupat basin segmenti 5.; macula altera nigra utrinque insidet basi segmenti 3. at transversa, ovalis; venter nigricans incisuris partim flavidis; anus rufus. Alae limpidissimae, stigmate flavido; halteres nigri. Pedes obscure flavicantes; femoribus albo-micantibus. Mus. Westermanni.

CHIROMYZA.

Antennae approximatae, porrectae, pilosae, triarticulatae, vix capite longiores: articulo 1. brevissimo cylindrico; 2. cyathiformi, vix longiore; 3. subulato illis paulo longiore.

Os parvum haud prominens.

Oculi maribus contigui; ocelli tres.

Alae incumbentes; halteres maximi.

Pedes longiusculi, antici mediis longiores.

Nomen a χειρ manus.

1. Chiromyza vittata.

Ochraceo-flavicans, thorace quadrivittato, venis alarum fusco-limbatis. Longit. lin. 7. ♀. Brasilia.

Wiedem. Nova Dipterorum genera p. 20. fig. 8.

Antennarum basis ochrascens, articulus apicalis fuscus. Caput flavicans. Thorax antice gibbus; vittae mediae antice latiores, linea flavicante divisae, laterales antice abbreviatae. Scutellum medio fuscum, utrinque flavicans; pleurae maculis aliquot fuscis. Abdomen ochraceum, utrinque fusco - limbatum, stylus analis articulatus, longissimus, alarum apicem attingens. Alae longitudine abdomen multo superantes ochraceo - flavicantes, venis, praesertim connectentibus, fusco-limbatis. Halteres capitulo fusco. Pedes ochracei, femoribus apicibusque tibiarum fuscis. Mus. n.

2. Chiromyza fuscana *mihi.*

Ochraceo - fusca, thorace obsolete vittato, abdomine incisuris posterioribus silaceis. Longit. lin. 7 — 8. ♀. Amer mer.

Chir. vittatae affinis, at multo saturatius fusca; thorace vix vittato; alis fuscanis, venis minus distincte limbatis. Color ubique fere aequalis. Mus. n.

3. Chiromyza ochracea *mihi.*

Tota ochracea, alis fuscanis. Longit. lin. 4. ♂. Habitat cum praecedente.

Wiedem. Nova Dipter. genera p. 20.

Abdomen in ventre imprimis paulo laetius ochraceum, in ferrugineum vergens. Thorax uti in praecedente antice gibbus. Mus. de Winthem et n.

MYDAS.

Antennae porrectae, approximatae, quinquarticulatae, 1. brevi subcylindrico-ventricoso; 2. brevissimo subdisciformi; 3. cylin-

dricoelongato; 4. cylindrico illo dimidio breviore; 5. clavato apice interne excavato.

Proboscis exserta capitulo subtrigono compresso. Palpi.

Ocelli nulli. Alae incumbentes.

Meigen Diptera II. Tab. 16. fig. 5. 6.

1. Mydas gigantea *mihi.*

Atra, abdomine chalybeo; alis colcotharinis, margine flavicante. Longit. lin. 15 — 19. Brasilia.

Tota atra, abdomine alisque exceptis. Primum abdominis segmentum atrum, cetera chalybea parum viridescentia, pilis brevissimis nigris appressis. Venter paulo nitidior, chalybeo-viridescens, incisuris nigricantibus. Alae longitudine abdominis, colcotharinae, apice extremo marginequе interno late flavicantes, ita ut linea terminalis inter partem colcotharinam et flavicantem sit sinuata. Femorum posticorum spinae haud validae. Mus. reg. Havn.

2. Mydas filata F.

Nigra, abdominis segmento secundo aurantiaco, alis nigris. Longit. lin. 10 — 12. Amer. merid.

Degeer Ins. VI. 204. 2. tab. 29. fig. 6. Nemotelus asiloides: niger, antennis cylindricis muticis; abdomine longo cylindrico: segmento secundo rufoflavo; alis fuscis.

Drury Ins. I. tab. 44. fig. 1.

Fabr. Mantissa II. 328. 1. Bibio filata: antennis subclavatis nigris, abdominis segmento secundo lateribus pellucido, femoribus posticis serratis.

Fabr Ent. syst. IV. 252. 1. Mydas filata: nigra etc. Alae obscure coeruleae. Femora postica subtus serrata.

Latreille Dict. d'hist. nat. XXIV. 192. 548. Mydas.

Latreille Hist. nat. d. Crust. et Ins. XIV. 338. Mydas filata.

Fabr. Syst. Antl. 60. 1. Mydas filata.

Latr. Gen. ins. IV. 294.

Antennae nigrae; caput nigrum, parum nitens. Stethidium nigrum absque ullo nitore. Abdomen margine postico segmenti primi utrinque, secundo fere toto aurantiaco, interstitio medio parvo tantum nigro. Venter incisuris parum rufo-brunneis; anus rufo pilosus. Alae fusco-nigrae certo situ parum violascentes; halteres fusci. Pedes picei, onychiis ferrugineis; femora postica subtus serrata; tibiae posticae apice dente antrorsum directo seu spina validissima. Mus. Fabr. et nostr.

3. Mydas brevicornis *mihi.*

Nigra, glabra; abdominis segmenta 3. et 4. flavido diaphana. Longit. lin. 11. ♀. Brasilia.

Antennae breviores nigrae, articulo apicali cinerascente. Hypostoma nigrum, pilis brevissimis nigris; orbitae parum albicantes. Abdominis segmenta 3. et 4. flavida, basi et apice angustissime nigra, in segmento tertio color flavidus medio longitudinaliter bipartitus. In ventre coloris flavidi ne minimum vestigium. Alae flavido-sublimpidae, area costali, maculaque magna apicali obsoletiore, e venarum limbis confusa, quasi adustis. Femora postica subtus spinosa. Mus. de Winthem.

4. Mydas rufithorax *mihi.*

Nigra, thorace rufo-hirto, abdominis incisuris flavidis. Longit. lin. 8. ♂. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae, articulus apicalis certo situ griseus. Hypostoma et barba albida, frons et vertex rufo-hirta. Pleurae postice rufo-hirtae, antice calvae, asphaltinae. Abdomen lateribus ima basi et apice rufo-medio flavicante-hirtum; incisura secunda callosa, glaberrima, obscure testacea, reliquae ferrugineo-flavae, omnes latere utrinque albae, venter ferrugineo-flavus, pilis longis flavicantibus. Alae flavicantes, halteres ferruginei, capitulo fusco. Pe-

des rufi, femora postica dimidio apicali facie interna nigra, subtus duplice serie spinarum validarum. Mus. Westermanni.

5. Mydas Westermanni *mihi.*

Niger, thorace abdominisque basi flavicante-villosis, reliquo abdomine nigro-hirto. Longit. lin. $7\frac{1}{2}$—$9\frac{1}{2}$. ♂. ♀. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 19. No. 27.

Antennae fusco-nigrae. Barba, hypostoma, frons, thorax, scutellum et abdominis segmenta duo anteriora flavicante-villosa; villi thoracis laterales subfulvi. Pleurae, pectus, venter subfulvo-villosa. Abdominis tergum inde ab apice secundi segmenti nigro-hirtum. In segmento secundo calli duo laterales transvesri glaberrimi haud pilosi. Incisurae abdominis plus minus testaceae. Alae in disco flavicantes, venis halteribusque fuscis. Pedes saturate badii, flavicante hirti. Femora postica incrassata subtus spinosa. Mus. Westermanni et nostrum.

ANTHRAX.

Antennae porrectae, distantes, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; 3. subgloboso stylo elongato, aut conico.

Oculi reniformes.

Proboscis retracta aut subexserta. Alae expansae.

Tribus I. Tab. II. fig. 3. a.

1. Anthrax Cerberus F.

Nigra, thorace rufo-hirto, abdominis basi apiceque fasciis, medio maculis transversis niveis; alis fusco variis. Longit. lin. 8—9. America merid.

Fabr. Ent. syst. IV. 256. 1. Anth. Cerberus: hirta nigra abdomine fascia baseos apicisque niveis, alis nigro alboque variis.

Caput nigrum orbita oculorum postica nivea. Thorax niger margine antico lateralique ferrugineo hirtis. Scutellum fuscum. Abdomen atrum, fascia baseos apicisque late niveis. Punctum praeterea laterale, parvum niveum. Alae variegatae.

Fabr. Syst. Antl. 118. 1. A. Cerberus.

Caput badium, occipite nigricante. Antennae cinerascente-nigrae, basi badiae. Oculi fusci, aureo micantes, orbitarum parte externa alba. Thorax antice et lateribus rufo hirtus setis rigidis nigris immixtis; disco tomento caduco subcupreo tecto. Scutellum badium. Abdomen nigrum angulo baseos externo utrinque ciliis rufis. Segmentum 2. fascia baseos nivea, dimidium longitudinis occupante, medio angustiore. Segmentum 3. et 4. basi utrinque macula s. gutta transversa nivea; 5. immaculatum; 6. et 7. tota nivea. Margo abdominis inde a segmento 3. ciliis nigris obsitus, tergum ipsum pilis brevibus appressis pubescens. Venter nigricans, pilis nonnullis albis, quae in recente omnino vittas duas e guttis albis efficere debent. Halteres fusci. Alarum area costalis fusca; basis fusca; tum fascia limpida dein fascia fusca externe furcata ramo postico latiore: inter ramos area limpida transversa ope venarum in areolas tres transversim positas divisa, quarum media fusco-flavescit. Sequitur fascia secunda versus marginem internum furcata, cum prima plus minus connexa ope maculae intersectae ita ut in nonullis speciminibus inter ramum posticum fasciae primae et basin fasciae secundae gutta tantum limpida supersit. Praeterea puncta quina fusca adsunt, tria in alae apice in triangulum posita, 2. in bifurcatione fasciae secundae cuius cum ramo anteriore interdum confluit. Fasciarum ambitus omnis varie repandus. Fuscedo areae costalis et vittae obliquae venam longitudinalem tertiam sequentis in testaceum vergit. Pedes badii

nigro hispidiusculi, femorum tibiarumque apice nigricante, tarsis nigris. Mus. Fabr.

NB. Haec descriptio a pluribus desumpta est speciminibus. Caducitas extrema tomenti albi quo abdomen plurimorum specierum huius generis notatum est, et variatio picturae alarum iustam specierum descriptionem saepius difficillimam reddunt.

2. Anthrax Tantalus F.

Nigra, rufo-hirta; abdomine atro, fascia maculisque 4 niveis; alis fuscis. Longit. lin. 7. Tranquebar.

Fabr. Ent. syst. IV. 260. 15. Anthr. Tantalus: fulvo hirta abdomine atro: fascia alba alis fuscis.

Maior A. hottentotta. Caput flavescens. Thorax fuscus, pilis densis fulvis inprimis ad latera tectus. Abdomen nigrum primo segmento lateribus fulvo hirto et in medio fascia distincta, alba, subtus basi album. Alae fuscae. Pedes nigri.

Fabr. Syst. Antl. 124. 29. A. Tantalus.

Specimen Mus. Fabr. abdominis apice caret, hinc in eius textu plura omissa, quae speciminis nitidissimi (a Westermanno donato) examine suppleri potuerunt. Hypostoma rufescente-tomentosum. Frons practerea pilis nigris pubescens. Scutellum badium rufescente hirtum. Thoracis apex et latera rufo-hirta. Non primum abdominis segmentum solum, verum etiam secundi basis lateribus rufo-hirtum. Abdominis fascia alba s. potius nivea in medio est angustior et basi segmenti tertii insidet. Segmenta 6. et 7. utroque latere macula alba notata sunt. Ventris segmenta 2. 3. omnino alba, in segmento 4. et 5. gutta media solum alba. Mus. n.

3. Anthrax erythrocephala F.

Nigra, abdomine cyaneo, capite fulvo; alis nigris puncto, fascia, apiceque limpidis. Longit. lin. 7. Brasilia.

Fabr. Syst. Antl. 118. 4. Anthr. erythrocephala: atra capite rufo, alis puncto fascia apiceque hyalinis.

Magna. Caput rufum antennis, proboscide punctoque uno alterove verticis nigris. Thorax et abdomen nigra, immaculata. Alae magnae atrae: puncto parvo, fascia media albohyalinis. Pili aliquot ferruginei ad basin apicemque thoracis.

Antennae nigrae, hypostoma e fulvo in aurantiacum vergens, occiput vere fulvum; frons punctis 4 nigro-pilosis. Thorax niger basi rufo-hirta; ab humeris ad alae basin vitta pariter rufo hirta. Pleurae nigro-hirtae, postice macula rufo-hirta; retro alarum basin fasciculus pilorum alborum. Abdomen nigro pubescens. Alarum punctum inter basin et fasciam; fascia abbreviata lineisque duabus distinctioribus interrupta; apex extremus limpidus. Pedes nigri. Mus. Hgg. et n.

4. Anthrax Sphinx F.

Tota flavo-hirta, alis fuscis, pedibus testaceo-flavidis. Longit. lin. 6. India orient.

Fabr. Mant. Ins. 2. 329. 20. Bibio Sphinx.

Fabr. Ent. syst. IV. 261. 20. Anthr. Sphinx: hirta flavescens alis fuscis, femoribus testaceis.

Statura et summa affinitas A. Lucifer at duplo fere maior. Corpus supra subtusque totum hirtum flavescens. Alae fuscae margine tenuiore pallidiore. Femora omnia testacea. Tibiae posticae supra testaceae.

Fabr. Syst. Antl. 126. 39. Anthr. Sphinx.

Antennarum basis testacea, articulus tertius niger. Color thoracis fundamentalis niger, scutelli badius, abdominis niger lateribus apiceque badiis. Tibiae externe saepius nigrae; tarsi fusco-nigri. Mus. Fabr. et n.

5. Anthrax Sisyphus F.

Thorace flavo-hirto; abdomine nigro, flavo-fasciato, alis limpidis costa subtestacea. Longit. lin. 5. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 125. 53. Anthr. Sisyphus: hirta fusca, abdomine ferrugineo: atro fasciato, alis hyalinis: costa testacea.

Frons villosa, ferruginea, antennis nigris. Thorax obscurus, glaucus: margine antico pilis ferrugineis ciliato. Abdomen hirtum, ferrugineum segmentorum marginibus atris. Alae albo hyalinae: costa testacea. Pedes nigri.

Thorax fusco-glaucescens, humeris distinctius glaucis pilorum intense flavicantium vestigiis ubique sparsis, et in scutello, quod apice rubescit. Abdomen nigrum fasciis pilosis intense flavicantibus, extrorsum latioribus, in singulorum segmentorum basi. In lateribus abdominis detritis maculae badiae. Venter cinereo-fasciatus, fasciis pilosis segmentorum apicibus adsitis. Alarum costa ferrugineo-flava potius quam testaceä. Pedes nigri tomento cinereo-flavicante. Mus. reg.

Tribus II. Tab. II. fig. III. b.

6. Anthrax Simson F.

Nigra thorace tomento rubido-cinerascente, abdomine argenteo-maculato, alis limpidis, maculis confluentibus fuscis. Longit. lin. 7. America mer.

Degeer Ins. tab. 29. fig. 11. Nemotelus tigrinus antennis acutis, corpore lato hirto, rufescente atro, albo-maculato; alis albis nigro-maculatis.

Fabr. Syst. Antl. 110. 5. Anthr. fusca scutello piceo, alis nigris albo variegatis.

A. nigrita paullo maior. Caput et thorax fusca, obscura. Scutellum piceum. Abdomen nigrum, maculis aliquot marginalibus albis. Alae nigrae albo totae variegatae.

Antennae nigrae. Hypostoma rubidum pilis nigris hirtum, sub antennis fascia flexuosä testacea; frons testacea sed cinereo hirta puncto utrinque nigro; vertex fusco-niger; occiput testaceum. Thorax fusco-niger, humeris lateribusque rubido-fuscis,

scutello subbadio. Tomentum rubido-cinerascens pilis nigro-fuscis mixtum omnes has partes tegisse vel in detritis speciminibus distincte apparet. Abdomen detritum rubidum, intactum pilis nigris et tomento argenteo obsitum. Huius tomenti vestigia in omnibus segmentis primo et ultimo exceptis, relicta sunt, ita ut maculae aut fasciae in speciminibus intactis adesse debeant. In altero specimine Mus. Fabr. alioque ex Mus. Winthemii accepto etiamnum macula maior utrinque versus abdominis apicem altera transversa utrinque in segmenti secundi apice relicta est; in altero vel scutelli apex punctum niveum distinctum habet. Primum abdominis segmentum utrinque pilis albis obsitum. Alarum, abdomen duplo aut plus superantium, basis late nigro-fusca; tum fascia angulata limpida, dein fascia fusca externe duplo latior et biloba, medio guttas limpidos minutissimas 2. inter lobos autem triangulum parvum limpidum continens. Ex hac fascia ad marginem alae internum vittae 2. nigrae excurrunt, venarum decursum sequentes, quae vittae fasciola secundum venas connectentes decurrente iunguntur. Fascia altera difformis versus alae apicem sita ramo lato obliquo iungitur cum fascia priore et mittit uncum ad ipsum apicem alae, venam ibi collocatum sequentem. Spatium inter hunc uncum et costam alae continet puncta tria ovalia quorum unum cum fascia fere coniunctum est. Pedes nigro hispiduli, post detritionem testacei. Mus. Fabr In specimine recentiore Mus. Winth. color fundamentalis ubique saturatissime fuliginosus.

7. Anthrax Aygulus F.

Nigra, ano niveo; alis basi dimidiato nigris apice limpidissimis punctis duobus nigris. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 121. 11. Anthr. Aygulus: hirta nigra, ano niveo, alis basi atris apice albis: punctis duobus nigris.

Statura magna praecedentium (A. Pandora, morio). Corpus nigrum, ano solo pilis densis argenteis. Alae

basi atrae, immaculatae, apice albohyalinae: punctis duobus parvis atris: altero colore baseos proximo.

Hac de specie in Mus. regio nil reliquum nisi stethidium cum pedibus tribus et alis. Magnitudo circiter hottentottae. In thoracis apice utrinque fasciculus pilorum alborum. Alae A. morioni quodammodo similes, sed nigredo spatium paulo minorem occupat, puncta duo adsunt in parte limpida unum in basi furculae apicalis, alterum in basi venae connectentis a vena antipenultima oriundae; ramus externus furculae apicalis magis sinuatus.

8. Anthrax Oedipus F.

Anthracina, pleuris abdominisque basi albido-villosis, alis limpidis maculis magnis nigris area costali nigro limpidoque alternante. Longit. lin. 5. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 123. 22. Anthr. Oedipus: hirta atra, abdomine basi albo villoso, alis nigris albo-variegatis.

Statura omnino A. aethiopis. Caput et thorax hirta, atra, immaculata. Abdomen atrum, villis aliquot baseos albis. Alae nigrae maculis punctisque numerosis hyalinis margine tenuiore sinuato hyalino.

Antennae nigrae apice penicillatae. Thoracis margines albido-hirti; discus in specimine examini concesso detritus; ab alarum basi ad humeros vitta pilorum seu setularum nigrarum, sub qua villi albidi pleurarum incipiunt. Abdomen exemplaris F. mutilatum, duabus primis segmentis tantum relictis; primi margo lateralis totus et secundi basis latere albo villosa. Maculae alarum fusco-nigrae guttis pluribus limpidis notatae et spatiis limpidis subtriangularibus ad marginem internum intersectae sunt. Spatium triangulare primum basi proximum, minimum, valde irregulare et punctis tribus aut quatuor nigris notatum est, ita ut dimidium alae basilare totum fere sit nigredine tinctum; dimidium apicale spatio triangulari maximo separatum est apice usque

ad costam ipsam protracto; in hoc spatio duo solum puncta minutissima conspicienda sunt et macula parva ad marginem interum alae sita, interdum macula sequente magna connexa. Haec macula magna ipsa triangularis, apice versus marginem alae internum directo, in spatio limpido triangulari tertio eam ab apice alae seiungente punctum unicum nigrum extremitati venae longitudinalis quintae impositum. Apex alae punctis 2. maioribus et tribus aut quatuor minoribus notatus est. Area costalis interstitiis nigris et hyalinis inaequalibus alternat, ita ut in nigredine 14 circiter maculae fenestrales numerentur, quod in nulla alia specie videre nobis contigit. Halteres nigrofusci. Pedes nigri. Mus. Fabr.

9. Anthräx Pithecius F.

Nigra, alis fuscis hyalino maculatis et sinuatis, apice sublimpidis maculis fuscis. Longit. lin. 4½. ♂. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 122. 14. Anthr. Pithecius: hirta nigra, alis basi nigris hyalino-maculatis, apice hyalinis nigro punctatis.

Statura et maguitudo praecedentium. A. Nemesis, maura. Corpus totum nigrum vix pilis aliquot apice albae, punctis aliquot nigris.

Color corporis detriti anthracinus. In apice thoracis pili albidi; hic apex et pleurae subfuliginosa. Maculae in parte nigrofusca alarum flavido-hyalinae costam versus sunt 5, quarum 1. in basi et 3 ante dimidium maiora; a margine interno sinus medius maior et posterior multo minor in fuscedinem intrant. Quadrans alae apicalis sublimpidus, fuscedo vero medio usque ad angulum rami externi furculae apicalis procedit et hoc loco macula s. puncto fusco partis limpidae coniuncta est, reliqua puncta sunt tres confluentes ad costam, punctum minor in apice rami externi furculae, et maior pone furculae ramum internum. Pedes nigri, tibiae et tarsi rubida. Mus. reg.

10. Anthrax Heros *mihi.*

Flavicante-hirta, abdomine albo-fasciato, alis limpidis, basi fuscanis puncto limpido. Longit. lin. 9. ♂. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Magaz. III. 8. No. 11.

Antennae nigrae; hypostoma et frons fuscana, tomento rubido-flavicante; in medio frontis vitta sinuata pilorum nigrorum. Thorax fusco-nigricans, basi pilis intensius et lateribus pilis minus flavicantibus; disco vittis tribus flavicante-tomentosis obsoletis. Ab humeris ad alarum basin vitta setularum nigrarum. Pleurae macula maiore et minore pilorum rubidorum. Scutellum detritum rubido-fuscum. Abdomen fasciis angustis albis; prima basi primi, secunda basi tertii, tertia et quarta in sexto septimoque segmentis; segmentum 4. et 5. lateribus tantum albo-tomentosa. Pili nigri tomento flavicante intersparsi lateribus abdominis praecipue conspicui. Venter fuscanus tomento albicante; in segmenti 3. et 4. medio tantum macula flavicans. Alarum pars fuscana ad costae duos trientes descendit, marginem alae internum nusquam attingit, inter venas connectentes medias sinum et ad harum venarum interiores puncta duo saturatiora efformat. Aliud punctum fuscum in parte limpida alarum apice et margine interno propius, punctum vero s. macula limpida in parte fuscana pone venas connectentes sita est. Venae alarum levem monstrant differentiam cellulae mediae marginis interni, in A. rivulari Hgg. quoque reperiendam. Pedes nigri, tomento flavicante tecti, post detritionem rubidi. Mus. Westermanni et n.

11. Anthrax apicalis *mihi.*

Niger abdomine chalybeo, alis nigris extremo apice lunulaque disci limpidis, tibiis lanuginosis. Longit. lin. 9. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae; hypostoma tomento cupreo-violascente tectum; frons cupreo-tomentosa, fascia media lata maculisque duabus superioribus ex pilis densis atris; occiput nigrum submetallico splendens. Thorax nigro-violascens linea postice abbreviata alba; humeri cuprei; apex thoracis pilis rigidis nigris, fasciculis quatuor albidis et in horum vicinitate pilis ochraceo-fuscis interpositis; scutellum cupreum; thoracis latera atra, ante alarum insertionem fasciola flavicans in pleuras paulum continuata ibique iuxta eius finem maculam parvam albo-pilosam habens, ceterum pleurae atro-pilosae. Abdominis segmentum 1. fusco-nigrum lateribus saturatissime fusco-hirtis, reliqua segmenta tomento obscure chalybeo obtecta. Alae nigrae, lunula parva ad primam trientem longitudinis sita, sub hac lunula ad marginem alae internum macula dilute fuscana, altera iuxta lunulam basi propior, tertia ad marginem baseos internum, quarta ad apicem areae costalis; nigredo alarum ante apicem extremum terminatur ita, ut margine externo apici sit propior, margine interno vero abrupte remotior; squamae nigro-fuscae flavicante-ciliatae; halteres fusci. Pedes nigri geniculis tarsorumque apice ochraceis; femora et tibiae posticae lanugine, in illis breviore in his longiore, nigro-violascente obtecta: haec lanugo constat ex pilis compressis singularibus. Mus. Westermanni; nitididsimum et intactum exemplar.

Tribus III. Tab. II. fig. III. c.

12. Anthrax *Lar.*

Nigra; abdomine utrinque maculis duabus apiceque niveis; alis fuscis puncto, excisura, apiceque limpidis. Longit. lin. 7. Bengalia.

Fabr. Spec. ins. II. 414. 10. Bibio Lar: hirta fusca abdomine utrinque maculis duabus albis, alis nigris: macula marginali apiceque albis.

Magna. Thorax fuscus scutello ferrugineo. Abdomen nigricans maculis utrinque duabus albis, altera baseos, altera in medio. Anus albicat. Alae magnae, nigrae punctis aliquot obsoletis albis. Macula magna ad marginem tenuiorem apexque albae.

Fabr. Mant. ins. II. 329. 11. Bibio Lar.

Fabr. Ent. syst. IV. 257. 4. Anthr. Lar.

Fabr. Syst. Antl. 110. 8. Anthr. Lar.

Antennae nigrae; proboscis capite longior. Hypostoma et pars inferior frontis rubidae flavicante-tomentosae, pars superior fascia nigro-fusca, pilisque nigris obsita; orbitae externae niveae. Thorax fusco-tomentosus, vittis tribus pallidis medio transverse connexis; apex thoracis flavicante hirtus, adstantibus pilis nigris; discus nigricante pubescens, pube rariore, ita ut tomentum subiacens distinctissime appareat. Thoracis anguli postici badii scutellique apex albo hirti, setulis nigris intermixtis. Ab alarum basi ad humeros vitta rubida superne et inferne setis nigris occultata. Pleurae rubidae. Abdomen fusco-tomentosum absque ulla pube; margo posticus primi segmenti utrinque linea transversa, segmentum tertium ad marginem posticum utrinque macula transversa niveo-tomentosis, segmentum sextum et septimum tota niveo-tomentosa. Latera abdominis nigro-pilosa, primi vero segmenti et baseos secundi fasciculo pilorum alborum ornata. Abdomen detritum lateribus segmenti 2. et 3. badium. Venter fusco-rubidus, tomento pallidiore. Alae nigro fuscae, punctis dilutissimis ad venas connectentes basilares et medios, puncto seu lunula limpidiore inter has venas, excisura media ultra dimidium latitudinis alae penetrante, apiceque late limpidis; excisurae margo posticus sinuato-dentatus; margo fuscediuis ad alae apicem, in nonullis speciminibus ad alae marginem internum sinu magno excisus, in aliis rectius decurrens. Pedes nigro hispiduli, post detritionem subtestacei. Mus. Fabr. et n. nitidissimum specimen a Westermanno donatum.

13. Anthrax Thomae F.

Flavicans, abdominis basi alba, alis dimidiato-fuscis. Longit. lin. 7. Insula St. Thomas.

Fabr. Syst. Antl. 125. 32: flavescens, abdomine basi niveo, alis dimidiato-fuscis.

Statura praecedentis (A. Hottentotta) at paullo maior. Corpus pilis flavescentibus. Abdominis segmentum primum basi niveum. Alae albae ad costam dimidiato fuscae.

Antennae nigrae, basi badiae; frons et hypostoma flavicante-tomentosa, post detritionem subbadia. Thorax detritus nigrofuscus, lateribus, postice praesertim, et scutello badiis; disco flavicante-tomentoso lateribus hirsutie pallidiore; basi pilis intensius flavicantibus. Pleurae dilute flavicante-pilosae. Abdomen cervino-tomentosum; segmenti secundi basis fascia albida, medio angustiore; dimidium posticum nigro hirtum; 3. medio fasciola abbreviata fusca, lateribus macula albida sub-triangulari; 4. lateribus macula pariter albida; incisurae inde a tertia nigro-ciliatae, ciliis lateralibus longioribus. Abdomine detrito, segmentum 1. nigrum margine postico subbadium, 2. et 3. badia, vitta media nigra in 3. dilatata, 4—7. badia basi nigra. Venter totus subbadius flavicante-tomentosus. Basis abdominis fasciculis lateralibus pilorum intense flavicantium. Alae limpidae; fuscedo usque ad apicem areae costalis longitudinaliter decurrit, vix latitudinis alae dimidium attingens, limite diluto, subdentato. Venae connectentes mediae saturatius fusco-limbatae. Pedes detriti badii, apice sensim nigricantes. Mus. Fabr. et n.

14. Anthrax pennipes *mihi.*

Nigra abdomine submetallico, alis nigris apice limpidis, tibiis posticis pennatis. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$. Java.

Antennae nigrae, hypostoma et frons nigra, tomento sparso rubricoso, haec supra antennas fascia et ante verticem punctis duabus nigro-hirtis; occiput ferreo splendens. Thorax niger apice pilis rigidis albicantibus; scutellum fuscum; pleurae nigro-hirtae. Abdomen lateribus baseos nigro-hirtum. Alae nigrae area costali rubido-fusca; venae connectentes glabrae et glabritie circumfusae; nigredo ante apicem oblique et parum convexe terminata; squamae fusconigrae fuscano-pallidissimo ciliatae; halteres fusci. Pedes nigri, femora postica brevius, tibiae posticae longius pennata, pilis compressis nigris. Mus. Westermanni.

15. Anthrax melanoptera *Pall.*

Thorace flavicante tomentoso, abdomine flavicante-fasciato, alis fuscanis. Longit. lin. 6. Desertum Tartaricum.

Wiedem. zool. Mag. II. 11. Anthr. melanoptera: corpore hirto, griseo fasciato, alis totis fusco-nigris.

Antennae nigrae, frons et hypostoma nigro hirta. Thorax detritus niger, lateribus scutellique apice subbadiis; recentibus exemplaribus flavicante tomentosis. Abdomen nigrum, segmentibus omnibus flavicante-tomentosis, incisuris late nigris. Alae dilute fuscae, venis saturatius limbatis, versus basin puncto sublimpido. Halteres fuscani, capitulo flavicante-albo. Pedes detriti badii. Mus. n.

16. Anthrax semialba *Hgg.*

Thorace flavicante, abdomine niveo-tomentosis; alis costa fuscanis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$ — 6. Desertum caspicum australe.

Wiedem. zool. Mag. II. 14. Anthr. semialba: thorace villoso griseo, abdomine albato, alis crassiore margine fuscescentibus, scutello testaceo.

Antennae nigrae, hypostoma niveo-tomentosum; frons flavicante-tomentosa. Thorax flavicante to-

mentosus, basi intensius flavicante-hirta; pleurae flavicante-hirtae. Stethidium detritum nigricans, scutello subbadio. Abdomen-niveo tomentosum, segmentis tribus ultimis flavicante intermixtum. Latera segmenti primi et secundi fasciculo pilorum albidorum. Venter ubique niveo-tomentosus et ad basin praecipue albo-hirtus; detritus testaceus; tergum detritum nigricans; segmentorum 2. 3. lateribus macula testacea. Alae ad costam fuscanae, ante venas connectentes medias usque ad venam longitudinalem quartam, retro illas vix ultra venam submarginalem seu secundam. Halteres flavicantes capitulo albo. Pedes nigri, flavicante-tomentosi. Mus. n.

17. Anthrax caffra *mihi*.

Fusca, abdomine albo-fasciato, alis basi fasciisque duabus obliquis sinuatis fuscis. Longit. lin. 6. ♀. Prom. bon. sp.

Antennarum articulus 1. rubigineus, 2. et 3. nigri bulbum oblongum formantes. Hypostoma et frontis pars inferior rubiginosa certo situ niveo-micantia, frontis pars superior nigra. Thorax nigrofuscus, apice setis flavicantibus, lateribus tomento niveo; in disco vittae tres caryophyllino-albicantes obsoletae; pleurae antice setulis flavicantibus obsitae, medio niveo-pilosae, sub alarum basi fasciculus pilorum flavicantium; scutellum rubidum basi niveo-tomentosum. Abdominis segmentum 2. basi utrinque linea transversa nivea, 3. fascia basilari nivea utrinque latiore, 4. fascia basilari late interrupta albida, 6 et 7. omnino alba. Color fundamentalis abdominis rubidus, ubique vero pilis nigris obtectus, sub tomento albo segmenti tertii subtestaceus; venter subtestaceus tomento niveo. Alae limpidae; basis, costa usque ad finem areae costalis, fasciaeque fuscae; pictura alae Anthraci grandi

Hffmg. similis sed saturatior et eo adprime diversa quod omnes venae connectentes in parte fusca sitae limpido sunt limbatae, unde maculae fenestrales oriuntur. Pedes nigri tomento flavicante. Mus. Westermanni.

18. Anthrax rutila *mihi.*

Nigra thorace fulvo-hirto, abdomine albo-maculato; alis ad costam fulvis. Longit. lin. $5\frac{3}{4}$. Desertum tartaricum australe.

Wiedem. zool. Mag. II. 16. Anthr. rutila: Thorace fulvo-tomentoso, scutello testaceo, abdomine maculis 2. albis, alis crassiore margine fulvescentibus.

Caput deest unico exemplari. Thorax detritus ater, nitens; lateribus fulvo hirtus. Abdomen atrum nitidum, secundo et quarto segmento maculis utrinque transversis albis, his latius ab invicem distantibus, illis medio fere coniunctis. Abdominis basis utrinque fulvo-pilosa; venter totus niger. Alae limpidissimae; basi et margine antico fulvae, fulvedine usque ad apicem areae costalis extensa, post venam connectentem mediam, inter venam secundam et tertiam longitudinalem fuscescens, nusquam ultra venam quartam latitudine diffusa. Vena longitudinalis penultima basi fulvo limbata. Halteres flavi. Pedes nigri. Mus. n.

19. Anthrax Pallasii *mihi.*

Nigra, nigro hirta, alis basi fasciisque binis latis ad costam cohaerentibus nigris. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. Ad mare Caspium.

Wied. zool. Mag. II. 10. Anthr. Pallasii: corpore hirto toto atro, alarum basi fasciisque binis crassiore margine cohaerentibus atris.

Antennarum basis et hypostoma rubida; frons nigra. Thorax detritus niger, basi et lateribus nigro hirtus. Scutellum detritum subbadium. Ab-

domen detritum segmento secundo utrinque macula transversa badia, ubi vestigia tomenti flavicantis superesse videntur. Alae macula parva alba ad baseos marginem anticum; fasciarum margines sinuati. Haec species Anthraci grandi Hgg. maxime affinis, quae vero maior thorace flavicante-hirta et abdomine flavicante-fasciata est. In exemplaribus intactis A. Pallasii forsan abdomen similiter fasciatum, cuius rei illustratio scrutinio futurorum indagatorum tradita manet. Mus. n.

20. Anthrax capensis *mihi.*

Flavido hirta et tomentosa; abdomine albido-fasciato; alis fuscanis apice limpidis fusco-punctatis. Longit. lin. 5, Prom. bon. sp.

Affinis A. algirae sed minor icone Coquebertiana et minus nigra; alarum venae et maculae bene quadrant.

Antennae basi rubidae articulo tertio nigro solito crassiore at basi minus bulbosa; hypostoma et frons flavido-tomentosa, haec fascia pilorum fusca; occiput glaucescens margine ad oculos testaceo, externe albo-hirto; oculorum margo internus auratus. Thoracis color fundamentalis glauco-nigricans at flavicante tomentosus, apex flavicante-, latera albo-hirta; scutellum detritum pallide lilacino-rubidum; pleurae albido-hirtae. Abdomen flavido-tomentosum marginibus segmentorum anticis albis; venter flavicans basi albus, inde a quarto segmento vittis duabus albis. Alae fuscanae, basi ad primas venas connectentes dilutiore; disco ante dimidium litura parva et sub hac basi paulo propius, macula quadrata sublimpidis; venae connectentes omnes fusco circumfusae, hinc puncta fusca; praeterea vero puncta duo iuxta apicem; squamae subcereae; halteres fusci capitulo albido; pedes rubido-flavicantes, tomento flavicante. Mus. Westermanni specimen paulo detritum.

21. Anthrax venosa *mihi.*

Nigra flavicante-tomentosa, abdomine albo fasciato; venis alarum omnibus fusco-limbatis. Longit. lin. 5.′ Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Magaz. III. 9. No. 2.

Antennae nigrae; hypostoma et frons nigra tomento rubido. Thorax fusco niger, basi lateribusque flavicante-hirtis, disco vittis 3. obsoletis tomentosis rubido-flavicantibus. Scutellum detritum fuscum. Abdominis color fundamentalis niger; primum segmentum nigrum; 2. basi fascia albo-tomentosa, margine postico fascia nigra, medio maculis duabus transversis nigris in angulo obtuso iunctis; 3—6. singula maculis binis lunaribus medio subconnexis; segmenta ultima fere tota, 4. et 5. lateribus tantum albida. Alae abdomen plus duplo superantes totae fere nigro-fuscae, medio macula triangulari maiore, puncto basi propiore, alteraque macula minore pone venam connectentem apicis, sublimpidis. Apex et margo internus sublimpidi, quaelibet vero vena ad apicem aut marginem excurrens fusco-limbata, ita ut limpidi parum supersit. Ad venas connectentes medias color fuscus magis nigrescit, unde apparentia punctorum. Femora rubida, tomento flavicante; tibiae et tarsi nigricantes. Mus. Westermanni et n.

22. Anthrax longirostris *mihi.*

Flavicante-tomentosus, abdomine albo-maculato; alis ad costam dimidiato fuscis, maculis quadratis limpidis. Longit. lin. 4. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 11. No. 15.

Antennae basi fuscae; articulus tertius niger, solito paulo longior et minus globosus. Proboscis longitudine dimidii fere corporis. Hypostoma et genae albo-flavicantia, albo pilosa. Frons medio

rubido-fusca nigro-pilosa, orbitis albo-flavicantibus. Thorax flavicante hirtus; eius color fundamentalis fusco-niger; certo situ vero vittae 4. nigrae in fundo griseo apparent, quarum mediae postice sunt abbreviatae. Color fundamentalis pleurarum es scutelli rubido-fuscus. Abdomen flavicante tomentosum serie longitudinali macularum albarum. Alae exterius fuscae omnibus venis connectentibus limpido limbatis, unde apparentia fenestrarum. Venae apicales dilutius limbatae. In alarum apice vena connectens singularis in nulla alia specie obvia. Halteres fusci capitulo supra albo. Pedes badii. Mus. n.

23. Anthrax Pandora F.

Nigra tomento rubido-fusco, abdomine utrinque fasciis incurvis albis; alis nigris apice, maculis fenestralibus, excisurisque marginis interni limpidis. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. Algiria.

Fabr. Syst. Antl. 121. 10. Anthr. Pandora: hirta atra, abdomine albopunctato, alis basi atris hyalino punctatis.

Statura et magnitudo omnino A. maurae. Thorax hirtus, ater, immaculatus. Abdomen atrum punctis plurimis sparsis, albis. Alae atrae; hyalino-punctatae, margine tenuiori sinuato albo.

Antennae fusco-nigrae; hypostoma et frons rubido-tomentosa, vertex nigro hirtus. Thorax rubido-tomentosus vittis tribus obsoletis laetioribus; basis rufo hirta, superius vero nigro hirta. Latera thoracis nigro hirta; ad angulos posticos fasciculus pilorum alborum. Abdomen rubido-tomentosum et nigro-pubescens; secundum segmentum ad basin utrinque fascia incurva seu lunula nivea postice concava; 3. lunula utrinque in medio posita antice concava; segmenta reliqua singula utrinque fascia nivea baseos, minus concava. Alae fusco-nigrae, excisuris tribus subtriangularibus et apice limpidis; excisurarum media maxima, postica minima lobis

duobus nigredinis, marginem internum non attingentibus, interiecta. Maculae quadratae fenestrales limpidae tres venae submarginali adiacent, media quasi duplicata. Maculae fuscanae dilutiores praeterea adsunt: 1. ad alae basin, 2. 3. ad venas connectentes margini interno alae propiores. Halteres nigro-fusci. Pedes badii tomento et setulis nigris. Mus. Fabr. et n.

24. Anthrax maculosa *mihi.*

Nigra, flavicante-tomentosa, abdomine albofasciato, alis basi fuscis margine maculatis. Longit. lin. 3½. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 10. No. 13.

Antennae nigrae; hypostoma frons et occiput flavicante-tomentosa. Thorax vittis tribus flavicante-tomentosis a latere magis conspicuis, lateribus albidis. Abdomen flavicante-tomentosum, in segmentis 2. 3. fascia alba bisinuata; segmenta 6. 7. tota fere alba, 4 et 5 lateribus tantum albida, medio fasciis sinuatis nigris calvis ubi tomentum album caducissimum detritum est. Basis alarum nigrofusca, qui color usque ad apicem fere et ultra dimidium latitudinis alae expansus puncta duo limpida continet, alterum basi, alterum apice propius; in parte limpida alarum praeterea maculae fuscae 9 ad minimum, quarum 5 fuscedine expansa connexae sunt. Pedes rubidi, tomento flavicante. Mus. Westermanni et n.

25. Anthrax chalcoides *Pall.*

Tomento subaeneo; abdomine fascia interrupta anoque albis, alis limpidis. Longit. lin. 3½. Desertum caspium austr.

Wiedem. zool. Mag. II. 17. Anthr. chalcoides: tomento subaeneo, abdominis cingulo interrupto anoque albo, alis hyalinis.

Frons argentata, oculi aenei ut et pili caput pone oculos cingentes. Antennae rubidae. Thorax nigricans, cano hirtus, tomento submetallico varicolore; pleurae et pectus nigro-fusca. Abdomen nigro-fuscum tomento varicolore; segmentum 2. linea late curva, versus basin concava, alba; cum ante hanc lineam segmentum sit calvum, autumandum est, basin totam tomento albo tectam fuisse; segmentum 3. basi fascia lata nivea medio paulo angustiore; reliquorum segmentorum incisurae albidae, vestigiis tomenti maxima pro parte delapsi. Alae limpidissimae, venis stramineis. Halteres albi. Pedes fusci. Mus. n.

Tribus IV. Tab. II. fig. III. d.

26. Anthrax Pygmalion F.

Flavicante-tomentosa; alis nigro-fuscis, punctis saturatioribus. Longit. lin. 6—7. Algiria.

Fabr. Syst. Antl. 124. 30. A. Pygmalion: fulvo hirta, alis fuscis nigro punctatis.

Statura magna A. Tantali. Thorax ferrugineo hirtus. Abdomen nigrum hinc inde hirtum. Alae totae fuscae punctis plurimis sparsis obscurioribus.

Antennae nigrae, hypostoma et pars inferior frontis rubida tomento flavicante. Vertex niger. Thorax niger, lateribus praesertim postice subbadiis; flavicante-tomentosus basi et lateribus subfulvis. Scutellum detritum subbadium. Abdomen nigrum incisuris rubidis, laete flavicante-tomentosum, in nonullis segmenti lunulae duae medio iunctae calvae apparent; inquirendum an in exemplaribus intactis sint albo-tomentosae? Alae medio macula parva triangulari et versus basin puncto dilutioribus; praeterea punctis, seu maculis potius, novem saturatioribus venis connectentibus plerumque, tribus in alae apice exceptis, impositis. Halteres fusci capitulo albido. Pedes badii, flavicante-tomentosi, spinulis nigris. Mus. Fabr.

Tribus V. Tab. II. fig. III. e.

27. Anthrax Polyphemus *Hgg.*

Flavo-fuscana, abdomine albido-trifasciato; alis fuscanis, maculis fenestralibus et triente apicali limpidis. Longit. lin. 9. Brasilia.

Antennae nigrae basi fuscae; hypostoma rubido-helvum pube albicante; frons fascia pone antennas undata nigro-pilosa, ceterum rubido hirta; a vertice decurrit vitta fusca subtus furcata. Occiput medio testaceum ad orbitas nigricans, flavicante-pubescens. Thorax tomento detrito fusco-niger, antice flavo-fuscano-hirtus; pleurae fascia alba ante alarum basin incipiens ad coxas intermedias descendens. Supra coxas posticas macula alba. Scutellum detritum badium, flavicante pilosum. Abdomen tomentosum; segmentum 2. 3. et 4. basi fasciis albis; in segmento 6 fascia albida minus distincta. Venter rubidus, incisuris dilutioribus, segmentis 3. et 4. maculis lateralibus obsoletis albidis. Alarum fuscedo nusquam marginem internum penitus attingit, ad basin macula diffusa dilutior, pro parte sublimpida; versus medium macula altera maior venam submarginalem attingens ibique dilutior, versus alae medium vero limpida; praeterea maculae tres quadratae dilutiores ad venas connectentes medias; fuscedinis margo posticus undosus. Halteres flavicantes. Pedes rubidi, tomento albicante. Mus. Hoffmannseggii et n.

28. Anthrax bipunctata. F.

Nigra, abdominis segmento primo utrinque macula transversa alba; alis fuscis. Longit lin. $7\frac{1}{2}$. Tranquebar.

Fabr. Syst. Antl. 118. 3. Anthr. bipunctata: hirta nigra, abdomine basi punctis duobus albis, alis obscuris.

Magna tota nigra punctis tantum duobus magnis niveis ad basin abdominis. Alae magnae obscurae, apice parum pallidiores.

Tota nigra, tomento anthracino et insuper hirsutie nigra; maculae albae abdominis e tomento albo formatae margine antico sunt convexae postico rectae basin segmenti secundi attingentes. Alae non apice solum verum etiam margine interno sensim dilutius fuscae seu infumatae. Mus. reg.

29. Anthrax Hessii *mihi*.

Nigra, abdomine albo-fasciato; alis basi punctisque 4. fuscis. Longit. lin. 6. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. II. 2. 40.

Antennae nigrae, articulus tertius basi bulbosus apice penicillatus. Hypostoma et frons flavicantia, sed nigro hirta. Stethidium nigro-hirtum, thorace iam detrito. Abdomen nigrum, basi lateribus fasciculo pilorum alborum, in exemplaribus intactis incisurae omnes probabiliter niveo tomentosae, ita ut fasciae inde exortae, in segmentis anterioribus saltem interruptae fuisse videantur. Basis alarum usque ad trientem longitudinis, areaque costalis tota nigro-fuscae; ubi hoc fuscedo terminatur ante venam connectentem angulosam punctum sublimpidum. In parte alarum sublimpida puncta 4. subquadrata venis connectentibus imposita. Fuscedo alarum in nonullis exemplaribus versus alae dimidium posticum paulo diffusa. Ramus externus furcae apicalis solito magis inflexus, ultra connexionem cum ramo interno paulum prominens ibique abruptus. Halteres fuscani capitulo albido. Pedes nigri tibiis rubidis. Mus. n.

30. Anthrax Faunus F.

Nigra, thorace fulvo-hirto; abdomine fulvo-fasciato; alis limpidis: area costali fuscana. Longit. lin. 5. 6. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 126. 38. Anthr. Faunus: ferrugineo hirta, abdominis segmentis basi atris, alis albo-hyalinis.

Caput et thorax ferrugineo hirta. Abdomen ferrugineo hirtum. Alae albae, hyalinae: costa parum testacea.

Antennae fusco-nigrae articulo tertio bulbiformi; hypostoma et frons fulvae, haec pube nigricante insuper obsita. Stethidium fulvo-tomentosum basi saturatius fulvo-hirtum. Abdomen atro-tomentosum; segmentum 1. lateribus fasciculo pilorum fulvorum, 2. simili fasciculo et basi fascia angusta fulvo-tomentosa; 3. fascia simili sed fasciculis lateralibus nigris; 4. fascia fulva paulo latiore absque fasciculis lateralibus; 5. et 6. fasciculis lateralibus nigris, illud fascia praecedenti simili, hoc in tergo totum fulvo-tomentosum; 7. totum fulvo-tomentosum fasciculis lateralibus albicantibus, interdum niveis. Tergum detritum ad latera segmenti 1 — 3. subbadium. Alarum basis usque ad venas connectentes primas tantum et area costalis fuscanae, his dilutius illis saturatius; venae nigro-fuscae. Halteres nigro-fusci. Pedes nigri tomento fulvo tecti tarsibus exceptis. Mus. Fabr.

31. Anthrax rufa *mihi.*

Nigra, rufo-hirta; alis fuscis apice dilutiore. Longit. lin. 6. Prom. bon sp. ♂.

Wiedem. zool. Mag. II. 41.

Hypostoma et pars infima frontis rufo hirta, pars superior frontis nigro hirta. Stethidium et abdomen ubique rufo-hirta, absque ullo tomento. Alarum apex abrupte dilutior fere absque ullo colore; cellulae marginales omnes medio dilutiores. Halteres flavicantes. Pedes rubido tomentosi. Mus. n.

32. Anthrax punctipennis *mihi.*

Fuscus, thorace albo-vittato, abdomine albo-fasciato, alis punctis fuscis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. ♂. Prom. b. sp.

Antennae nigrae, articulus tertius certo situ albicans, basi bulbosus apice penicillatus; hypostoma nigrum hirsutie e pilis albidis flavidis et nigris mixta, frons tomento cervino-flavicante et hirsutie erecta nigra, orbitae albae in fronte puncto infero et vittula supera nigris. Thorax fusco-tomentosus vittis sutura transversa et basi albis; apex pilis nigris, latera setis, discus pilis brevioribus nigris; pleurae et pectus albo-hirta. Abdomen fuscum tomento parum cervino, incisuris albo tomentosis et insuper pilis erectis nigris munitae; abdominis margines laterales fasciculis albis et nigris pilorum alternantes; venter albo-hirtus. Alae limpidae, ima basi punctisque quadratis sex aut septem fuscis in venarum anastomosibus; halteres fusci capitulo albo. Pedes nigri, tibiae rubidae, tomento solito flavicante. Mus. Westermanni.

Marem esse opinari licet A. Hessii cui admodum affinis.

33. Anthrax Cephus F.

Atra; apice abdominis extremo albo; alis fusco-nigris. Longit. lin. 5. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 124.25. Anthr. Cephus: hirta atra, alis nigris immaculatis.

Statura et magnitudo Gideonis. Corpus totum hirtum, atrum immaculatum. Alae nigrae immaculatae.

Etsi omnium sit aterrima, attamen series pilorum griseorum in primo abdominis segmento. Ultimum et penultimum abdominis segmentum supra alba. Alae longissimae; extensae apicibus ultra lin. 14. distantes. Mus. reg.

34. Anthrax hyalina *mihi.*

Nigra, abdomine flavo-fasciato; alis limpidissimis ima basi fuscanis. Longit. lin. 5. ♀. Iava.

Summa affinitas A. circumdatae Hgg. Mg. a qua alis limpidissimis nec area costali fuscis tantum distinguitur. Abdominis segmenta 2—4. fasciam flavam habent in basi, 5. et 6. in apice; segmenta 5. 6. utrinque margine laterali nigro-pilosa; et in segmenti tertii marginibus lateralibus, sed apice tantum, pili nigri. Mus. Westermanni.

35. Anthrax sexfasciata *mihi.*

Nigra, flavido-hirta; abdomine fasciis 6 griseis; alis limpidissimis Longit. lin. 5. ♀. Prom. bon. sp.

Praecedenti affinis. Antennae nigrae; hypostoma griseo, frons nigro-hirta; occiput nigrum. Thorax flavido-hirtus et tomentosus, lateribus basi pleurisque dilutioribus. Abdominis fasciae angustae, tomentosae; prima in basi, secunda in apice segmenti secundi, pilis nonnllis griseis baseos tertii inprimis ad latera accedentibus; fascia tertia secundae similis, 4-6. in apice solum segmentorum 4-6; segmentum 1. pilis longioribus subtilioribus obsitum; margines laterales abdominis pilis longioribus griseis in segmentis 5. 6. nigris muniti. Venter totus griseo tomentosus. Alae ima basi vix flavicantes; baseos margo externus puncto transverso rubido-albo, et pilis rigidis subhelvis. Pedes nigri tomento griseo in tibiis rubido tecti. Mus. Westermanni.

36. Anthrax Lucifer F.

Nigra flavicante-tomentosa; abdomine fasciis nigro-tomentosis; alis fuscis basi margineque externo ferrugineis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. America mer. Insulae.

Fabr. Syst. Ent. 759. 13. Bibio Lucifer: hirta flavescens, alis fuscis, basi ferrugineis.

Statura et summa affinitas praecedentis (Sylvanus).

Fabr. Mantiss. II. 329. 21. Bibio Lucifer.

Fabr. Ent. syst. IV. 262. 21. Anthrax Lucifer: Statura et summa affinitas A. Sphinx.

Fabr. Syst. Antl. 126. 40. Anthr. Lucifer.

Antennae nigrae articulo primo testaceo. Hypostoma genae et frons cerea, frons nigro-pubescens, vertex niger. Thorax flavicante - tomentosus; basi saturatius lateribus dilutius flavicante-pilosis. Scutellum detritum apice badium. Abdomen marginibus lateralibus totum aureolo-pilosum, tergo flavicante-tomentosum, incisuris nigro-tomentosis. Alae fuscae, costa ipsa nigro-fusca, vena submarginalis, tertia et quinta longitudinales, plus minus, area costalis tota, areae intermediae pro parte ferrugineae seu ochraceae. Halteres ferruginei, capitulo albo. Pedes nigri flavicante-tomentosi.

Annot. Inter exemplaria 4. Mus. Fabr. quorum 3. capite carent, unum est cuius venter tomento niveo munitus, alarum vero color magis aequalis ferrugineo-fuscus est, ceteris venter flavicans. An species distincta?

Ab Anthr. Sphinx facile distinguitur venarum alárum decursu.

37. Anthrax Syphax F.

Cervino-tomentosa, abdomine incisuris albidis; alis limpidissimis, basi fuscanis. Longit. lin. 5. Barbaria.

Fabr. Ent. Syst. Suppl. 554. 10. Anthr. Syphax: hirta fusca alis hyalinis basi fuscis.

Tota hirta fusca, immaculata. Alae hyalinae basi fuscae.

Fabr. Syst. Antl. 123. 20. A. Syphax.

Antennae nigrae, articulo tertio bulbiformi. Hypostoma et frons dilutissime cervina. Thorax cervino-tomentosus, lateribus pectoreque cano-villosis. Abdomen detritum nigrum, incisuris omnibus testaceis, tomento cervino obsitum incisuris albido-ciliatis. Alae dimidio basali flavo-fuscanae, spatio lato

versus marginem internum excepto, area costalis tota fuscana; venae connectentes mediae omnes saturatius fusco limbatae, ad basin venae longitudinalis antepenultimae macula s. punctum canum. Halteres fuscani, capitulo saturatiore, supra albo. Pedes dilute testacei tomento albido. Mus. Fabr.

38. Anthrax Gorgon F.

Fuliginoso-nigra, flavicante tomentosa; abdomine nigro-maculato; alis ad costam fuscanis, fusco sex-maculatis. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$ — 5. Amer. mer. Insulae.

Fabr. Syst. Antl. 126. 41. Anthr. Gorgon: fulvo hirta, alis hyalinis: disco nigro-punctato.

Statura et magnitudo A. Lucifer. Corpus nigrum fulvo hirtum. Alae hyalinae costa fusca punctisque numerosis disci fuscis.

Fabr. Syst. Antl. 127. 42. Anthr. Maimon: hirta nigricans, abdominis lateribus testaceis, alis hyalinis fusco punctatis.

Statura praecedentium (Lucifer. Gorgon.). Corpus nunc magis nunc minus fuscum pilis fulvis hirtum. Abdomen nigricans lateribus testaceis. Alae albae, costa obscuriore punctisque aliquot nigris distinctis.

Gorgonis exemplaria 2. et Maimonis 3. satis demonstrant ea ad unam eandemque speciem amandanda esse. Antennae nigrae basi rubidae, articulo tertio elongatulo haud bulbiformi. Genae rubidae, hypostoma et frons nigro-fusca tomento fulvido. Thorax detritus plus minus fuliginoso-niger, tomento flavicante, basi lateribusque pilis densis flavicantibus in fulvum vergentibus. Scutellum detritum apice badium. Abdomen detritum lateribus et apice subbadium, ita ut coloris nigri in tergo triangulus supersit apice retrorsum directus. Latera segmentorum singulorum basi fulvido-, margine postico nigro-tomentosa; de pictura tergi nil aliud constat, cum omnia exemplaria medio sint detrita. Alae sublimpidae; basis areaque costalis flavo-fuscanae, fusce-

dine basin versus ultra venam submarginalem diffusa. Maculae punctiformes fusco-nigrae venis connectentibus impositae; duae in venis connectentibus mediis in unam fere coniunctae, tres basi et margini interno propiores, sexta ad basin furcae apicalis; praeterea vena connectens cellulam marginalem, secundam post furculam, claudens, quoque fusco limbata. Halteres fuscani, capitulo flavicante. Pedes dilute badii, tomento flavicante obsiti. Mus. Fabr.

39. Anthrax fusca *mihi.*

Fuscă, ferrugineo-hirta; alis băsi fuscis, punctis in parte limpida duobus fuscis, tertio atro. Longit. lin. 4. Amer. mer.

Fabr. Syst. Antl. 117. 5. Cytherea fusca: fusca thoracis abdominisque lateribus ferrugineis, alis basi nigris: punctis tribus atris.

Statura parva Cyth. aureae. Caput obscurum, oculis magnis, aureis. Thorax fuscus lateribus ferrugineo-hirtis. Abdomen nudiusculum, fuscum, lateribus ferrugineis. Alae albae basi nigrae, punctis tribus versus apicem huius coloris atris. Pedes testacei.

Species mihi haud rite nota. Forte potius Anthrax.

Anthrax est, proxima A. Gorgoni, quam etiam decursu venarum in alis aequat; at proboscis multo magis prominens, unde Fabr. hanc speciem Cythereis suis adnumeravit. Capitis thoracisque color fuliginosus. In thoracis margine antico et utroque laterali pili ferruginei adsunt; in exemplaribus intactis totam superficiem his pilis munitam esse suspicari licet. Scutelli apex obscure ferrugineus. Abdomen parum nitens, lateribus, quamquam detrita sint, ferrugineis, ano et ventre omnino ferrugineis. Alarum pars fusca ad apicem areae costalis usque extensa, plusquam trientem alae occupans; puncta duo saturatissime fusca et unum atrum in venis connectentibus sita. Pedes obscure rufi et hirti. Mus. reg.

40. Anthrax simplex *mihi.*

Anthracina, ubique fulvo-hirta, fronte sola nigra; alis basi dilute fuscanis. Longit. lin. 4. Promont. bon. sp.

Wied. zool. Mag. III. 11. No. 14.

Antennae nigrae. Hypostoma saturate fulvum, genae et pars infima frontis dilutius fulvo-hirtae; pars superior frontis nigra, nitens, pilis nigris. Stethidium et abdomen fulvo-hirta, hirsutie tenuiore, colore corporis anthracino translucente; incisurae abdominis praeterea tomento fulvo munitae. Alae limpidae, basi sola fuscana, area costali flavicante. Pedes nigri, flavicante-tomentosi. Mus. n.

41. Anthrax leucostoma *mihi.*

Nigricans, hypostomate niveo; abdomine fasciis duabus anoque niveis; alis ad costam nigris. Longit. lin. 4⅓. ♀. Prom. bon. sp.

A. fimbriatae M. affinis at maior. Antennae nigrae; hypostoma niveo-hirtum; frons nigro-hirta, occiput nigricans. Thorax fusco-nigricans apice flavicante lateribus niveo-hirtis; discus antice vittis tribus cervinis; pleurae niveo-hirtae; scutellum nigrum cervino-limbatum. Abdomen nigrum, segmentum 1. lateribus albo hirtum, 2. in basi fascia pilosa nivea ceterum cervino-tomentosum medio nigrum; 3. cervino-tomentosum medio nigrum; 4. niveo-pilosum margine postico tantum anguste cervino; 5. basi nigrum apice cervinum, 6 et 7. nivea. Alae limpidissimae, basi et ad costam fusco-nigrae, latitudo nigredinis a basi versus apicem duobus gradibus ad venas connectentes sitis decrescit, apicem areae costalis non attingit; in baseos margine exteriore macula transversa nivea stethidium versus cervina; squamae fusco-nigrae niveo-ciliatae. Pedes rubidi tomento griseo; femorum apex facie antica niger, tarsi nigri. Mus. n.

42. Anthrax Gideon F.

Fabr. Syst. Antl. 125. 27. A. atra abdomine utrinque bipunctato; alis dimidiato albohyalinis. America mer.

Media, atra. Thorax pilis albidis subtus villosus. Abdomen atrum utrinque puncto baseos alioque ante apicem albis. Alae dimidiato atrae albaeque.

Exemplar 4⅔ lin. longum ab amicissimo de Winthem accepi, e Georgia americana missum, quod pro Gideone habere vix audeo. Nigrum est, pleuris et pectore albido-pilosum, thorace et abdomine valde detritum, reliquiis pilorum albidorum ante abdominis apicem. Alae duobus trientibus fusco-nigrae, pictura et venis A. bicinctae mihi (v. Meig. II. p. 155.) proximae, at terminus nigredinis magis dentato-sinuatus, punctum apicis cum reliqua nigredine connexum et sinus apicalis profundior, venam secundam inter et tertiam guttam limpidam referens. Halteres fusci capitulo flavido-albo. Pedes rubido-flavi. Mus. n.

43. Anthrax Troglodyta F.

Nigra, flavicante hirta abdomine nigro-fasciato; alis limpidissimis, macula marginali baseos argentea. Longit. lin. 4. India orient.

Fabr. Syst. Ent. 759. 14. Bibio Troglodyta: hirta fusca alis hyalinis: macula marginali baseos argentea. Statura praecedentium (A. Lucifer Sphinx). Corpus totum hirtum fuscum. Alae hyalinae macula magna argentea baseos.
Fabr. Mant. II. 329. 22. Bibio Troglodyta.
Fabr. Ent. syst. IV. 262. 22. Anthr. Troglodyta.
Fabr. Syst. Antl. 127. 43. Anthr. Troglodyta.

Antennae nigrae; hypostoma et frons flavicante-hirta, vertex niger. Thorax flavicante-hirtus basi lateribusque saturatius. Abdomen flavicante-hir-

tum; fasciis tomentosis nigris, in segmentis 2—4. dimidium apicale, in 5. et 6. contra dimidium basilare occupantibus. In abdomine detrito segmenti primi et secundi latera macula testacea communi notata sunt. Alae basi ipsa flavo-fuscanae; macula marginalis argentea biloba, et habita ratione corporis magna. Halteres flavicantes capitulo albido. Pedes nigri, flavicante-tomentosi. Mus. Fabr.

44. Anthrax dimidiata *mihi.*

Nigra, abdomine niveo-tomentoso, alis basi dimidiato-fuscis, punctis 4. saturatioribus. Longit. lin. $3\frac{2}{3}$. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 46. No. 7.

Antennae nigrae; caput et stethidium flavicante-fusco-hirta. Abdomen ubique tomento niveo obtectum. Venter tomento rariore sub-cupreo. Fuscedo alarum nigricans usque ad venas connectentes medias diffusa, aream costalem vero totam explens; puncta saturatiora in termino fuscedinis, venis connectentibus imposita. Halteres flavo-albidi. Pedes nigri. Mus. de Winthem.

46. Anthrax fulvula *mihi.*

Nigra, fulvo-hirta; alis flavido-limpidis costa fusca. Longit. lin. 4. ♂. Iava.

Antennae nigrae; hypostoma albidum pilis aliquot fulvis; frons nigra orbitis argenteis, inter frontis pilos nigros pili fulvi sparsi. Thorax pilis fulvis ad latera densioribus; pleurae fulvo pilosae, pectus albo pilosum. Abdominis latera subferruginea, totum vero abdomen pilis fulvis plus minus obtectum. Alae vix flavicantes; fuscedo ultra aream costalem nonnisi in basi diffusa; inter venam connectentem mediam et basin punctum nigricans; ramus furculae apicalis externus ultra connexionem

cum ramo interno paulo prominens sicut in A. Hessii; halteres ferrugineo flavi, capitulo albido, antice fusco. Pedes rubidi, tibiis posticis tarsisque omnibus fuscis. Mus. Westermanni.

46. Anthrax fulvo-hirta *mihi.*

Nigra, fulvo-hirta; abdomine utrinque ferrugineo; alis dimidiato-nigris. Longit. lin. $3\frac{1}{3}$. ♀. Georgia Americes.

Antennae nigrae, articulo apicali elongato-bulboso. Frons pilis fulvis et longioribus nigris munita. Stethidium et abdomen fulvo-hirta. Abdominis latera secundum totam longitudinem ferruginea, sed fulvo-hirta. Alae ad basin dimidiato-fusae, venis limbo saturatiore; alarum apex limpidissimus; halteres albi. Pedes nigri, tomento fulvo. Mus. de Winthem, Westermanni et n.

47. Anthrax Nero F.

Nigra, dilutius flavicante-hirta; alis limpidis basi fuscanis, maculis fuscis. Longit. lin 3. Americae mer. Insulae.

Fabr. Syst. Antl. 127. 45. Anthr. Nero: hirta cinerea, alis albis basi ferrugineis fusco maculatis.

Praecedentibus minor (Abbadon, Troglodyta). Thorax et abdomen cinereo-hirta. Alae albae, hyalinae, basi ferrugineae, maculis aliquot indistinctis fuscis. Pedes ferruginei, apice nigri.

Antennae basi ferrugineae. Hypostoma et frons nigricantia flavicante-hirta. Pleurae et pectus albido villosa. Abdomen flavicante-hirtum, marginibus lateralibus albido villosum; detritum abdomen incisuris, inprimis posterioribus, testaceum. Halteres ferruginei capitulo albo. Alae abdomen duplo superantes, basi usque ad dimidium circiter longitudinis et latitudinis fuscanae, venis connectentibus

mediis saturatius fusco-limbatis. Pedes dilutissime ferruginei tomento flavicante obtecti. Mus. Fabr.

Species A. Syphax simillima at multo minor.

48. Anthrax pusilla *mihi*.

Nigra, abdomine niveo-fasciato; alis basi dimidiato- et punctis duobus nigris. Longit. lin. 2½. ♂ Prom. bon. sp.

Antennae nigrae, articulus tertius valde bulbosus, apice obsolete penicillatus; hypostoma, frons, occiput nigra. Thorax niger apice pilis nigris albisque mixtis. Abdomen nigrum nigro-pilosum, incisuris interrupte niveo-tomentosis; segmentum 1. lateribus albo-pilosum. Alarum nigredo dimidium minus basilare occupans, oblique sinuato-terminata, punctis duobus canis; in parte apicali limpida punctum alterum in furculae apicalis basi, alterum in medio alae ubi vena accessoria cum vena antipenultima iungitur; halteres fusci capitulo apice albo. Pedes nigri spinulis solito longioribus. Mus. Westermanni.

Tribus ignotae.

† 49. Anthrax fasciata F.

Fabr. Syst. Antl. 118. 2. A. hirta nigra, alis ante apicem fascia alba. Ins. Oceani pacifici.

Statura magna A. Cerberi, distincta alis totis atris: fascia parva nivea ante apicem.

† 50. Anthrax Midas F.

Fabr. Syst. Antl. 124. 26. A. hirta nigra, alis dimidiato-nigris. America mer.

Statura omnino A. Cephi at alae basi atrae, apice albae.

51. Anthrax Satyrus F.

Bibio Satyrus Fabr. Mantiss. II. 329. 16. Habitat in China.

Syst. Ent. 758. 10. Bibio Satyrus: fusca, abdomine atro: segmento primo basi, ultimis lateribus albis. Habitat in nova Hollandia.

Maior B. Hottentotta. Caput fuscum, antennis filatis, nigris. Thorax fuscus, antice pilis ferrugineis hirtus. Abdomen atrum, primo segmento basi tomentoso albo, 2. 3. immaculatis, 4. 5. 6. lateribus albis. Alae albidae, margine exteriore ferrugineo. Pedes atri.

Fabr. Ent. syst. IV. 259. 13. Anthr. Satyrus.

Fabr. Syst. Antl. 123. 24. Anthr. Satyrus.

52. Anthrax Sylvanus F.

Fabr. Mantissa II. 329. 18. Bibio Sylvanus: fusca abdomine albo strigoso, alis basi fuscis: puncto albo.

Fabr. Syst. Ent. 758. 12. Bib. Sylv.: fusca abdominis basi lateribus ferruginea, alis fusco punctatis??

Corpus fuscum, scutello abdominisque primo et secundo segmento lateribus ferrugineis. Alae albidae punctis aliquot fuscis margineque exteriore subferrugineo. Pedes picei.

Fabr. Syst. Antl. 125. 34. Anthr. Sylvanus. Habitat in nova Hollandia.

† 53. Anthrax algira F.

Fabr. Ent. syst. IV. 258. 8. A. alg.: hirta fusca abdominis segmentis margine pallidis, alis nigro punctatis, basi fuscis apice pallidis. Barbaria.

Statura praecedentium (maura, afra) maior. Caput pallide ferrugineum. Thorax niger sublineatus

scutello ferrugineo. Alae punctis sparsis, nigris, basi fuscis, margine tenuiore albis. Pedes obscure testacei.

Coquebert Illustr. iconogr. p. 84. Tab. XX. f. 1. Longit. icon. lin. 8.

Fabr Syst. Antl. 122. 16. Anthr. algira.

Haec species pertinet ad Trib. III; uti et A. heros v. s. pag. 76. false tribui secundae adnumerata.

TOMOMYZA *mihi.*

Antennae triarticulatae; articulo primo brevi subcylindrico, secundo brevissimo subgloboso, tertio longiore subulato extrorsum directo.

Hypostoma breve, porrectum, tectiforme; haustellum breve, vix prominens.

Ocelli nulli, aut occulti.

Alae divaricatae.

Pedes breves.

Habitus Anthracis; abdomen sexannulatum.

Tomomyza anthracoides *mihi.*

Nigra, nitens; abdomine niveo-notato; alis infumatis. Longit. lin. 4. ♀. Prom. bon. sp.

Wiedem. Nova Dipterorum genera p. 9. fig. 1.

Antennae nigrae, caput nigrum, occiput utrinque vittula alba. Thorax niveo-pilosus, pilis brevibus vittas indistinctas formantibus. Abdomen segmentis annulato-convexis, singulo macula parva media incisurisque niveo-pilosis certo situ distinctius apparentibus. Alae infumatae, apice margineque interno sublimpidae; halteres flavido-albi. Pedes nigri. Mus. Westermanni.

XESTOMYZA *mihi.*

Antennae parum approximatae, porrectae, elongatae, triarticulatae; articulo primo longiusculo cylindraceo, paulum inflato, secundo brevissimo cyathiformi, tertio mediocri fusiformi-acuminato.

Haustellum porrectum, longitudine thoracis.

Ocelli tres.

Alae expansae.

Pedes longi.

Xestomyza lugubris *mihi.*

Nigra nitens, halteribus coccinelleis; alis infumatis costa maculisque duabus flavicantibus. Longit. lin. 3⅔. Prom. bon. sp.

Wiedem. Nova Dipt. genera p. 10. fig. 2.

Antennae nigrae pilosae, articulo ultimo absque pilis, fusco. Caput nigrum, hypostomate certo situ albido-micante. Thorax lineis duabus flavicantibus antice in punctum dilatatis. Alarum macula prima pone basin sub vena ultima, secunda pone venam connectentem mediam; basis alarum costaeque dimidium basilare flavicantia. Femora nigra; tibiae et tarsi saturate fusca. Mus. Westermanni.

APATOMYZA *mihi.*

Antennae triarticulatae, approximatae, porrectae; articulo primo elongato cylindrico, secundo minutissimo subcyathiformi, tertio compresso-subulato.

Haustellum porrectum capite duplo fere longius, basi palpigerum, palpis porrectis, fractis articulo apicali capitulato.

Ocelli tres.

Alae incumbentes. Pedes longi. Habitus Therevae.

Apatomyza punctipennis *mihi.*

Nigricans, thoracis lateribus, scutello, abdomine pedibusque ferruginosis. Longit. lin. 3. Prom. bon. sp.

Wiedem. Nova Dipteror. gen. p. 11. fig. 3.

Antennae subhelvae; hypostoma et frons ferrugineo-flavicantia; occiput schisticolor. Thorax nigricans, flavicante-hirtus lineis duabus calvis; pleurae ferruginosae medio nigricantes; scutellum paulo elongatum lateribus subconcavis. Abdomen utrinque et in medio nigricans. Alae flavicantes ad costam fuscanae, venis connectentibus fuscis; halteres ferruginei capitulo albido. Tarsi et apex tibiarum posticarum fusci. Mus. Westermanni.

NEMESTRINA *Latr.*

Antennae porrectae; articulis duobus primis transversis, subaequalibus, ultimo breviter conico, stylo setiformi, elongato, distincte triarticulato terminato.

Palpi exserti.

Proboscis longissima.

Ocelli tres.

Alae divaricatae.

Tarsi onychiis tribus.

1. Nemestrina reticulata *Latr.*

Nigra, griseo-hirta; thorace linea media maculisque duabus, abdomine incisuris griseis. Longit. lin. 8. ♀. Aegyptus. Syria.

Latr. Hist. ins. XIV. p. 319. Nemestrinus reticulatus.

Fischer Act. Moscov. I. edit. secund. p. 184. Tab. XV. b. fig. 12. Rhynchocephalus Latreillii.

Latr. Genera Crust. et ins. IV. 307. tab. 15. f. 5. 6.

Thoracis linea longitudinalis; macula utrinque in medio sita obliqua. Abdominis segmentnm 1. supra penitus griseo-hirsutum, cetera segmenta postice griseo-marginata; 2. 3. 4. singula fascia transversa atra, in 2. et 3. interrupta. Alae, apice excepto, fuscae. Femora nigra, tibiae et tarsi rufescentia.

2. Nemestrina Westermanni *mihi.*

Nigra, thorace albido-vittato; abdomine badio vitta nigra; alis ad costam fuscis. Longit. lin. $7\frac{1}{2}$. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae; hypostoma et frons badia, albo-hirta; ocelli pilis nigris circumdati; barba alba; proboscis longitudine stethidii, nigra, apice parum incrassata, sub thorace reflexa. Thorax fusco-niger vittis duabus lateribusque albidis, sutura transversa a lateribus usque ad vittas albida; scutellum et thoracis anguli postici obscure lilacino-rubida; praeter albedinem laterorum thoracis linea albo-hirta ad humeros perducta sub qua pleurae ab alis ad apicem nigro-hirtae sunt, postice vero et subtus albo-hirtae. Abdominis primum segmentum flavicante-hirtum; color badius in testaceum vergit; vitta obsoleta; incisurae nigrae, quartum segmentum apice griseum; venter griseo-hirtus. Alae limpidae ad costam late fuscae, lituris duabus ex hoc fusco prodeuntibus. Venae uti in N. Tauscheri v. i.; halteres ferruginei, capitulo fusco. Pedes rubidi. Mus. Westerm.

3. Nemestrina brevirostris *mihi*.

Nigra, albido-maculata, flavicante rufoque tenuiter hirta; alis fuscis limpido fenestratis, proboscide corpore breviore. Longit. lin. 7. ♂. ♀. Prom. bon. sp.

Maxima affinitas N. longirostris non nisi brevitate proboscidis hirsutieque trunci tenuiore et pallidiore distincta. Pictura thoracis abdominisque distinctior, nempe vittae mediae approximatae, quid, quod ante scutellum coniunctae, postice oblique interruptae; vittae laterales bis interruptae, ita ut pars media pone suturam sita paulo extrorsum mota sit; latera thoracis praeterea albidae, scutellum albo ita limbatum ut discus fusco-niger rhombum referat. Abdominis pictura sequenti ad amussim similis. Alae ut in sequente. Pedes ochracei. Mus. Westerm. et n.

4. Nemestrina longirostris *mihi*.

Nigra, glauco-maculatà, cervino-hirta; alis fuscis limpido-fenestratis, proboscide corpore quadruplo-longiore. Longit. lin. 7 (absque proboscide). ♂. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 13. No. 17.

Antennae ochraceae apice nigrae; proboscis nigra, basi fusca; hypostoma et frons flavicante-hirta; vertex rufo-hirtus. Thorax cervino-hirtus, vittis duabus dilutioribus; in thorace detrito maculae glaucae vittas constituentes, quarum externae valde interruptae; scutellum detritum subbadium, basi medio nigrum, pleurae flavo-hirtae. Abdomen, cervino-hirtum quod in rufum vergit; utrinque fasciculis nigris pilosis; abdomen detritum atrum, incisuris albidis; in singulo segmento maculae duae glaucae, a quibus linea transversa glauca ad marginem lateralem excurrens cum incisurae albedine con-

iungitur. Alarum fuscedo marginem internum non attingit; costa, arca costalis, vena submarginalis, vena tertia et penultima ferrugineae. Maculae fenestrales tres sub vena longitudinali tertia, quarum prima quasi bipartita, tertia ad alae apicem minima; praeterea a margine alarum interno maculae 4. limpidae fuscedinem intrant; alarum apex numerosissimis venulis connectentibus intersectus est. Pedes ferruginei. Mus. Westermanni et n.

5. Nemestrina Tauscheri.

Fusco-nigra, flavo-hirta; abdominis incisuris flavo-ciliatis. Longit. lin. 6. ♂. ♀. Chersonesus taurica. Sarepta.

Fischer Acta Moscov. I. edit. secund. 196. Tab. XV. b. fig. 3. 4. Rhynchocephalus Tauscheri.

Pallas: Wiedem. zool. Magaz. II. p. 5. Volucella taurica: abdomine foeminae caudato, segmentis margine tomentoso-fimbriatis pallidis.

Antennae ferrugineo-fuscae; caput flavido-hirtum, vertice hirsutie nigra; stethidium omnino dilute flavo-hirtum. Abdomen hirsutie dilute flava, segmento secundo densiore, reliquis rariore, incisuris dense flavo-ciliatis; venter flavo-hirtus. Alae limpidissimae ima basi dilute fuscanae. Femora nigra apice rufa, flavo-hirta; tibiae et tarsi rufa. Hirsuties flava ubique in sulphureum migrans. Mus. n.*)

† 6. Nemestrina caucasica.

Nigra, cano-hirta; thorace maculis duabus griseis. Longit. lin. 5—6. ♂. ♀. Caucasus; littora maris caspici.

---

*) Hanc speciem a Cytherea fasciata Fbr. (Fallenia fasc. Meig.) non differre olim credidi, at aliter sentio post comparationem ambarum specierum; laudatio Fabricii in opere Meigenii ergo delenda est.

Fischer Acta Moscov. I. edit. prima p. 220. Tab. XV. fig. 1—3. 5—7. et 10—13. Rhynchocephalus caucasicus.

Fischer Act. Mosc. I. edit. secunda p. 188. Tab. XV. fig. supra laud. et Tab. XV. b. fig. 5. ala. Rhynchoceph. Adamsii.

Pallas icon. insect. Tab. K. fig. 20.

Wiedem. zool. Magaz. II. p. 7. Nemestrina caucasica (Volucella caucasica Pall.).

Meigen Descr. systemat. Dipt. Europ. II. p. 135. Fallenia caucasica.

Descriptionem non addo, quoniam species mihi invisa et in operibus laudatis satis descripta est. Monendum vero, figuras in opere Meigenii ad Editionem I. Actorum Moscov. delineatas, esse incorrectas. Alae delineatio in Edit. secunda Act. Mosc. emendata est, antennarum vero figuram emendatam Fischerus non addidit, quamquam in notis genericis Rhynchocephali (Nemestrina Latr.) antennarum setam *triarticulatam* enunciavit, et in Nemestrina Tauscheri fig. 4. at mehercle! nimis distincte delineari curavit.

CORSOMYZA *mihi.*

Proboscis longitudine thoracis porrecta setacea bivalvis.

Antennae approximatae triarticulatae: 1. cylindrico, breviore; 2. cyathiformi, brevissimo; 3. primis duobus duplo longiore, compresso, apice compresso dilatato.

Ocelli tres. Oculi in utroque sexu, in ♀ latissime distantes.

Habitus Mulionum.

1. Corsomyza pennipes *mihi*.

Nigra, flavicante-hirta, scutello flavo, tibiis brunneis, posticis nigro-pennatis. Longit. lin. $3\frac{2}{3}$. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae; hypostoma stramineum, albo-hirtum; barba alba; frons infra straminea albo-hirta, supra nigra et nigro-hirta. Thoracis latera et pleurae fulvo-hirta; scutelli basis medio p rum nigra. Abdominis basis lateribus fulvo-hirta. Alae croceo-flavicantes, basi et costa multo intensius, venis ferrugineis; halteres flavidi capitulo albo; femora nigra pilis densis et longis nigro-hirta; tibiae et tarsi subbadia. Mus. Westermanni.

2. Corsomyza simplex *mihi*.

Nigra, tota albo-hirta, tibiis tarsisque rubido-brunneis. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♂. Prom. bon. sp.

Wiedem. Nova Dipt. genera p. 14. fig. 5.

Caput et truncus tota nigra, pilis tenuissimis longis albis hirta, frontis pars superior sola nigro-hirta at in summo vertice quoque pili erecti albi; hirsuties hypostomatis et partis inferioris frontis scopulam densam refert ex qua antennae et proboscis prominent. Color fundamentalis relucens truncum superne inspectum grisescentem reddit. Alae flavicantes basi et costa multo saturatius; venis ferrugineis; halteres ferruginei capitulo albo. Femora nigra, tibiae et tarsi in ochraceum magis quam badium migrantes. Marem esse praecedentis opinari licet. Mus. Westermanni.

3. Corsomyza nigripes *mihi*.

Nigra, flavicante-hirta; scopula frontali in ambitu nigra, pedibus nigris. Longit. lin. 3. ♂. Prom. bon. sp.

Antennae, fasciculus pilorum sub antennis et barba nigra, scopula hypostomatis et frontis flavi-

cans et toto ambitu nigra; pili in frontis parte superiore nigri, at in vertice summo crista transversa pilorum flavicantium utrinque fasciculo nigro terminata. Truncus supra flavicante-pilosus; pleurae, pectus et venter nigro-pilosa; iuxta alarum insertionem fasciculus albidus. Alae limpidae; area costalis et inprimis linea stigmatica ferrugineo-flavicans; venae ferruginosae; halteres fusci. Mus. Westermanni.

4. Corsomyza clavicornis *mihi.*

Anthracina, flavicante-pilosa, scopula frontali iuxta antennas et in ambitu nigra. Longit. $2\frac{2}{3}$. Prom. bon. sp.

Mulio clavicornis. Wiedem. zool. Mag. III. 12. No. 16.

Antennae nigrae. Hirsuties thoracis et abdominis longa sed minus densa, certo situ albicans fere; color corporis anthracinus fundamentalis ubique translucens. Pedes pilis brevissimis nigris obsiti, femora subtus pilis nonullis longioribus flavicantibus. Mus. Westermanni et n.

BOMBYLIUS.

Antennae porrectae, approximatae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; 3. elongato, compresso.

Proboscis exserta, horizontalis, capite longior.

Corpus lanatum.

Alae expansae.

Tribus I. Venarum decursu ordinario.

1. Bombylius analis F.

Albo-hirtus, ano albo; alis basi nigris. Femina capite thoraceque albo-hirtis. Longit. lin. 6—7. Prom. bon. sp.

♂. Fabr. Ent. syst. IV. 408. 5. Bomb. analis: alis basi atris corpore hirto atro, ano niveo.

Magnus. Rostrum elongatum, nigrum. Corpus totum hirtum, atrum, ano supra niveo, subtus basi fulvo apice niveo. Alae albae, basi atrae.

Coquebert Illustr. icon. 85. tab. 20. f. 5.

Fabr. Syst. Antl. 130. 10. Bomb. analis.

♀. Fabr. Ent. syst. IV. 409. 6. Bombilius discoideus: alis basi atris: costa nivea, thorace niveo: disco atro, abdomine atro: ano niveo.

Affinis B. anali; paullo minor. Caput hirtum, niveum antennis rostroque atris. Thorax hirtus, niveus, disco nudo, atro, forte detrito. Alae albae basi atrae costa punctoque opposito albis. Pedes atri.

Coquebert l. c. 86. tab. 20. f. 6.

Fabr. Syst. Antl. 130. 11. B. discoideus.

Nil albi in mare, nisi quarti et quinti segmenti abdominis hirsuties; segmentum quartum ventrale fulvo-hirtum. In femina caput ubique (antennis et rostro exceptis) albo-hirtum. Thorax et pleurae albo-hirta, setis paucis nigris ante et retro alarum basin. Abdominis segmentum 4. et 5. sicuti in mare. Basis costae alarum albo-tomentosa, setulis nigris supereminentibus; squama alarum niveo-ciliata (hinc punctum oppositum album Fabr.!). Alarum basis in utroque sexu usque ad venas connectentes basilares tantum nigro-fusca; ceterum alae sublimpidae. Mus. Fabr. et n.

2. Bombylius fulvo-notatus *mihi.*

Ater, abdomine serie macularum fulvarum. Longit. lin. 7. ♂. ♀. Prom. bon. sp.

Wied. zool. Mag. II. 41.

Statura B. analis et punctati. Thorax maris ater, feminae canus tribus vittis atris, lateribus antice abbreviatis. Abdomen atro hirtum, in basi singuli segmenti, primo excepto, macula media fulva, in

2. et 3. marginem posticum non attingens, in reliquis cum proxima confluens. Alarum basis usque ad venas connectentes basilares nigro-fusca; reliqua pars alarum sublimpida; in costa nihil albi. Pedes nigri. Mus. n.

3. Bombylius micans F.

Dilute flavicans, thorace ochraceo-vittato alis ad costam dimidiato-fuscis. Longit. lin. 3—3½. ♂, —6. ♀. Prom. bon. sp.

Fabr. Ent. syst. Suppl. 569. 2. Bomb. micans: alis dimidiato nigris aequalibus hirtus albus, thorace lineis tribus fuscis micantibus.

Paulo maior B. medio. Corpus totum hirsutissimum album, thoracis dorso lineis tribus latis, fuscis micantibus. Alae albae dimidiato fuscae et in hac parte lineola parva baseos alba. Pedes testacei.

Fabr. Syst. Antl. 129. 4. Bomb. micans: alis dimidiato-atris etc.

Antennae nigrae. Barba alba, mystax niger. Frons infra flavicante-, supra nigro-hirta Thoracis vittae tres. Pleurae vitta saturatius flavicante. Pectus albido-hirtum. In singulo segmento abdominali fasciculus lateralis pilorum nigrorum, subtus magis conspicuus; in segmento 1. maris, femina multo minoris, color fundamentalis niger magis conspicuus. Alae limpidae; pars fusca in nonullis subcastanea, ad apicem fere extensa, versus alae medium venis connectentibus terminata et inter has venas profunde emarginata est; in venis connectentibus ipsis color fuscus saturatior. Basis costarum flavicante-hirta vitta ochracea in nonullis fere nigra. Pedes testacei, tomento flavicante obsiti. Mus. Fabr. et n.

4. Bombylius versicolor F.

Cinereo-hirtus; thorace sub alis abdominisque segmentis margine albis; alis limpidis. Longit. lin. 5½. Mogador.

Fabr. Syst. Antl. 131. 12. Bomb. versicolor: alis hyalinis, cinereo-hirtus, thorace sub alis abdominisque segmentis margine albis.

Statura et magnitudo omnino B. medii. Haustellum et antennae nigrae. Caput supra cinereo subtus albo-hirtum. Thorax tomento cinereo denso hirtus, ad basin alarum inprimis subtus albus. Abdomen cinereo-hirtum segmentorum marginibus tenuissime albis. Pedes testacei, apice nigri.

Statura B. medio paulo gracilior. Color fundamentalis totius corporis glaucus, antennarum articuli 1. 2. glauci. Mus. reg.

5. Bombylius ferrugineus F.

Ferrugineo-hirtus, ano nigro; alis limpidis, basi parum fuscanis. Longit. lin. 5. ♂. Americae Insulae.

Fabr. Syst. Antl. 132. 16. Bomb. ferrugineus: alis hyalinis, hirtus ferrugineus, ano nigro.

Paullo maior B. minor. Caput ferrugineum, hirtum, antennis haustelloque nigris. Thorax hirtus, ferrugineus, immaculatus. Abdomen testaceum, rufo hirtum, ano nigro. Alae hyalinae, basi parum ferrugineae. Pedes ferruginei.

Hirsutiei color ferrugineus ubique in rufum vergit, praecipue in hypostomate, lateribus thoracis et in abdomine. Color fundamentalis capitis et thoracis glaucus (in thorace postice sensim nigricans) scutelli et abdominis subtestaceus; in abdomine vitta media nigra ad basin apicemque latior. Pedes dilute testacei. Mus. Fabr.

6. Bombylius varius F.

Flavicante-hirtus, abdominis margine utrinque maculis 2 nigris; alis limpidis basi margineque externo fuscanis. Longit. lin. 5. ♂. America bor.

Fabr. Syst. Antl. 132. 17. Bomb. varius: alis basi nigris, flavo hirtus, abdominis margine nigro vario.

Statura et magnitudo B. postici. Caput barba haustelloque nigris. Thorax hirtus, flavus. Abdomen hirtum, magis albidum: maculis lateralibus nigris. Alae albae, basi nigrae. Pedes rufescentes.

Barba albida, hypostoma vero nigro-hirtum. Color corporis fundamentalis anthracinus. Pleurae saturatius flavicantes subfuscanae. Abdominis maculae laterales nigrae constant fasciculis pilorum segmenti secundi et tertii; verosimiliter in totam superficiem dorsalem horum segmentorum continuatis (dorsum detritum) in ano quoque pili nigri. Alarum pars fuscana longitudine aream costalem totam occupat, versus basin latitudine sensim expansa est ita ut basis ipsa ubique sit fusca. Pedes dilute badii. Mus. Fabr.

6. b. Bombylius helvus *mihi.*

In Museo nostro exstat exemplar maris e Mexico ad amicum de Winthem missum, pictura et magnitudine B. vario Fabriciano simillimum, sed hirsutie helva potius quam flavicante obsitum et haustello longiore munitum.

7. Bombylius basilaris *mihi.*

Fuscus, rufo-hirtus; alis basi nigris macula ferruginea. Longit. lin. 5. ♀. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 46. No. 7. b.

Antennae nigrae; hypostoma flavicante-hirtum, frons flavicante-hirta fascia nigra ad occiput. Occiput rufo-hirtum. Thorax fusco-niger, rufo-hirtus, pleurae dilute flavicante-hirtae, versus pectus albidae. Scutellum ferrugineum. Abdomen fusco-nigrum hirsutie paulo dilutiore quam thorax. Alae limpidae; basis usque ad trientem totae longitudinis fusco-nigrae, macula ferruginea insertioni alarum proxima; venarum decursus quam in ceteris paulo rectior. Halteres fusci capitulo supra flavo-albicante. Pedes rufi; tarsi fuscani. Mus. n.

8. Bombylius mixtus *mihi.*

Glaucus scutello rubido, flavicante-hirtus; abdomine utrinque setis raris nigris; alis limpidis. Longit. lin. 5. ☿. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae; barba alba; mystax flavicans, vibrissae nigrae; frons ferruginea, flavicante-hirta setulis nigris intermixtis. Pectus albido-hirtum. Abdominis hirsuties interstitiis transversis ad incisuras partita; anus ipse rubidus. Alae limpidissimae, vix basi cellula mediastina et cubitali et ante venulam mediam sordide flavicantes. Pedes rubidi tomento solito flavicante, tarsi fusci. Mus. Westermanni.

9. Bombylius lateralis F.

Thorace rubido-hirto, vitta laterali albida; abdomine fascia media alba; alis ad costam dimidiato-punctisque nigris. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♂. ♀. Prom. bon. sp.

Fabr. Syst. Antl. 129. 5. Bomb. lateralis: alis dimidiato punctisque atris, ater thorace linea laterali alba.

Magnitudo B. maioris. Caput et thorax hirta, atra, linea laterali thoracis alba. Abdomen atrum: fascia media alba. Alae albae dimidiato nigrae et praeterea puncta 4. distincta nigra. Pedes testacei.

Antennae nigrae, hypostoma, frons occiput et thorax rufo-hirta, sed setis supereminentibus nigris, rufum colorem abscondentibus. Thorax vittis duabus lateralibus albis in occiput ipsum continuatis; pleurae distinctius rufae. Abdominis basis atra, segmentum tertium albo-, segmenta reliqua rubido-tomentosa. Margo abdominis fasciculis pilorum nigrorum, subtus ruforum. Alae punctis 4. in parte sublimpida, maiore ad basin furcae apicalis, tribus minoribus in basi cellularum marginalium; dua alia eaque maiora in margine nigredinis distinguenda;

lobulus alarum basilaris aureo-ciliatus. Halteres nigrae. Femora nigra. Mus. n. specimen nitidissimum a Westermanno donatum.

10. Bombylius mexicanus *mihi.*

Anthracinus flavicante-hirtus; abdomine vitta maculari nivea; alis basi et trientibus duobus costae fuscis. Longit. lin. 4½. ♀. Mexico. Savannah.

B. vario F. affinis longitudine mediocri haustelli, pictura alarum, quid quod? pilis nigris ad latera et in tergo segmentorum abdominis 3 et 4; at pleurae et pectus albo-hirta et pili nigri abdominis et ani rariores multo minus conspicui. Antennae fusco nigrae, haustellum nigrum, hypostoma et frons glabra nigra, pilis nigris; pone antennas pars minima frontis opaca fuscana, in parte glabra pone marginem anticum punctum impressum. Barba alba. Occiput, thorax flavicante-hirta. Abdomen flavicante-hirtum. In medio abdominis tomentum niveum conspicitur a segmento secundo ad anum usque vittam vix interruptam efformans. Venter albohirtus, anus pilis nigris circumsitus. Alae limpidae, basis et costa usque ad areae costalis finem nigrofuscae, color fuscus apicem areae costalis latitudine parum transgreditur; ultra venam connectentem mediam limbum adhuc format venae quartae; venam connectentem inter penultimam et antipenultimam venam longitudinalem vix transgrediens limbum format extremitatis venae penultimae qui vero apicem eius non attingit. Halteres dilute rufescentes. Pedes paulo saturatiores tarsis fuscis. Mus. de Winthem et Westerm.

11. Bombylius hyrcanus *Pall.*

Flavicante-albido villosus ano fuscano; alis flavo-fuscanis; haustello abdomine breviore. ♀. Longit. lin. 4½. Circa Caucasum et in Hyrcania.

Wiedem. zool. Mag. II. 22.

Barba et mystax fere alba, frons fuscano-pilosa. Corpus vellere lucide flavicante subtus albidiore obsitum, abdomine postice pilis fuscis creberrime intermixtis. Alarum basis et margo externus dilute flavo-fuscani, versus marginem internum dilutiores; venae silaceae, costa ipsa fusca. Color corporis fundamentalis niger nitens, ventris rubidus. Femora nigra extremis apicibus rubido-flavis; tibiae et tarsi rubido-flavi. Mus. n.

12. Bombylius ambustus *Pall.*

Niger, thorace antice fulvescente, abdomine basi albido. Longit. lin. 4. Ad Irtin fluv. in Rossia austr.

Wiedem. zool. Mag. II. 21.

Antennae nigrae. Barba nigra, mystax albidus, vibrissae nigrae. Color corporis fundamentalis ater. Thorax antice ferrugineo-fulvicans, postice ater. Scutellum album. Abdomen atrum fascia angusta baseos alba. Alae limpidae basi ad venas connectentes primas nigro-fusca; area costali fuscana. Pedes nigri. Mus. n.

13. Bombylius cinerarius *Pall.*

Albido-lanatus, thorace fusco-trivittato, abdomine fascia fuscana. Longit. lin. 4. ♀. Rossia austral. circa Volgam.

Wiedem. zool. Mag. II. 24.

Antennarum basis subtestacea. Frons et hypostoma nivea. Thorax albido-lanatus, vittis fuscis latis ad marginem posticum usque extensis, lateralibus antice abbreviatis. Abdomen fascia secundo et tertio segmento communi fuscana. Quarto segmento insidet parum tomenti nivei ad latera. Alae sublimpidae basi ad costam dilutissime fuscanae venis nigro-fuscis. Pedes rubido-flavicantes, albido-tomentosi, tarsis fuscis. Color corporis fundamenta-

lis glaucus vittis thoracis, basi scutelli, tergoque; abdominis fere toto fuscis. Mus. n.

14. Bombylius autumnalis *Pall.*

Albido-villosus, alis limpidis totis. Longit. lin. 4. ♂. ♀. Circa Volgam et Caspium lacum.

Wiedem. zool. Mag. II. 23.

Antennae nigrae. Barba alba. Frons et hypostoma flavicante pilosa; vibrissis maris nigris. Vertex fusco niger. Color corporis fundamentalis glauco-nigricans; vellere supra albido dilutissime flavicante, subtus albo, sericeo. Scutelli detriti apex subbadius. Alae omnino limpidae, vena submarginali et penultima silaceis, reliquis fuscis. Halteres dilute flavicantes. Pedes subtestacei tarsis fuscis. Mus. n.

15. Bombylius hypoleucus *mihi.*

Ferrugineo-flavicans; alis ad costam dimidiato-fuscanis, barba pleurisque niveis. Longit. lin. 4. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae, certo situ albido-micantes; mystax flavicans, vibrissae et hirsuties frontis ferrugineae. Pleurae niveo-villosae, pectus ipse ferrugineo-villosum. Abdominis apex fasciculis pilorum nigrorum qui vero villositate flavicante obtecti sunt. Alarum pars fuscana apicem non penitus attingit; at venam connectentem mediam et connectentem inter penultimam et antepenultimam venam paulo transgrediens per gradus versus basin dilatatur. Pedes helvi tomento albido. Mus. de Winthem.

16. Bombylius rubricosus *mihi.*

Niger supra flavicante subtus albo-hirtus, scutello abdominisque incisuris rubigineis, alis dimidiato-infumatis. Longit. lin. 4. ♀. Prom. bon. sp.

Antennarum articulus 1. rubidus, apex niger; barba alba, mystax ochraceo-flavicans, vertex nigro-hirta. Thorax hirsutie griseo-flavicante. Abdomen nigrum incisuris late et ano rubigineis, pilis longioribus hirtum quibus ad incisuras series pilorum nigrorum sunt intermixtae. Alae dilute infumatae apice sublimpidae quod limpidum margine interno magis versus basin diffusum est. Squamae ferrugineo dilute flavicantes ciliis longis albis; halteres flavicantes capitulo dilutiore. Pedes ferrugineo-flavicantes, tarsi non fusci. Mus. Westermanni.

17. Bombylius maculatus F.

Niveo-hirtus, abdomine trifariam niveo-punctato; alis basi nigris. Longit. lin. 3. ♂. Tranquebar.

Fabr. Syst. Ent. 803. 6. Bomb. maculatus: alis basi nigris, ater thorace antice, abdomineque postice albis.

Magnitudo et statura B. atri. Frons albicans rostro et antennis nigris. Thorax ater antice villis albis, densis tectus. Abdomen nigrum postice tomento albo, sub quo aliquot puncta nivea splendent. Pedes nigri.

Fabr. Ent. syst. IV. 410. 13. Bomb. maculatus.

Fabr. Syst. Antl. 134. 25. Bomb. maculatus.

Frons, hypostoma et occiput niveo-hirta. Thorax niveo-hirtus, quod translucente nigredine albidum tantum apparet. Pars posterior thoracis, scutellum et abdominis basis detritae ex vestigiis vero pilorum hic illic relictorum autumandum est ubique superficiem superiorem villis albis munitum fuisse. Pleurae nigro-fuscae, postice fascia alba. Abdomen lateribus segmentorum 1—3. nigro villosum, superne albo villosum, maculis tomentosis niveis. Alae limpidae; basis usque ad venas connectentes primas tantummodo nigro-fusca. Halteres nigri. Mus. Fabr.

18. Bombylius hyalinus F.

Fuscus, scutello, thoracis abdominisque lateribus (detritis) ferrugineis. Longit. lin. vix 3. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 134. 24. Bomb. hyalinus: alis hyalinis fuscis, scutello thoracis abdominisque lateribus ferrugineis.

Statura parva melanocephali. Caput cinereo villosum, antennis haustelloque nigris. Thorax fuscus lateribus rufo villosis. Scutellum totum ferrugineum. Abdomen subglobosum, rufum linea dorsali anoque fuscis. Pedes nigri.

Antennarum basis ferruginea. Hypostoma albicans; frons dilute flava puncto fusco supra antennas; occiput saturatius flavum. Thorax valde detritus fusco-niger certo situ glaucescens, humeris angulisque posticis ferrugineis; scutellum detritum ferrugineum. Abdominis tergum detritum, paulo saturatius ferrugineum, vitta nigra basi latiore et apice ita expansa ut anus omnino sit niger. Vestigia apparent pilorum flavicantium in tergo. Venter ferrugineus albo micans, marginibus segmentorum anticis saturatioribus: vitta media nigra. Alae limpidissimae, non nisi area costali et limbo venularum connectentium baseos flavicantes. Halteres brunnei, capitulo flavido-albo. Mus. Fabr.

19. Bombylius argentatus F.

Ater capite argenteo-punctato, thorace bivittato, abdomine trifariam punctato, alis basi seminigris. Longit. lin. $2\frac{1}{2}$. ♀. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 134. 23. Bomb. argenteus: alis basi seminigris ater, thorace lineis punctisque anticis, abdomine punctis argenteis.

Statura et magnitudo omnino praecedentis (B. ater). Caput argenteum, nitidum, haustello antennisque atris. Vertex ater punctis 4. minutis argenteis. Thorax hirtus ater, antice lineis duabus in medio punctisque utrinque duobus argenteis nitidis, postice punctis duobus. Abdomen hirtum, atrum, lineis tribus e punctis argenteis. Alae albae, basi nigrae. Pedes nigri.

Caput atrum, punctis 2. minoribus verticis, 2. maioribus ad latera antennarum, 2. maximis ad latera occipitis. Mystax argenteus; occiput flavicante-

pilosum. Thorax vittis 2. argenteis abbreviatis et punctis 2. ante scutellum. Humeri argentei, supra alarum basin puncta 2. argentea. In abdominis tergo linea punctorum media incipit a segmento tertio, punctaque ultima antecedentibus sunt maiora, lineae laterales compositae ex punctis minimis segmentorum 2. et 4, maioribus segmentorum sequentium sensim decrescentibus. Lobulus alarum basilaris longissime albido-ciliatus. Ad scutelli latera fasciculus pilorum alborum absque ullo nitore argenteo. Mus. reg.

Tribus II. Venae tertiae apex ad marginem internum alarum excurrens; proboscis paulo crassior et minus subulata.

20. Bombylius mystax *mihi.*

Glaucus, sulphureo-hirtus, barba albida, mystace nigro. Longit. lin. 4½. ♀. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. II. 42.

Antennae nigrae. Barba sulphureo-albida, mystax niger. Antennarum basis pilis sulphureis circumdata. Frons sulphureo-hirta setulis nigris longioribus intermixtis. Occiput thorax et abdomen sulphureo-hirta; anus setis nonnullis nigris. Color corporis fundamentalis glauco-nigricans. Alae limpidae venis flavo-fuscanis. Venarum quarta apice non tertia ante marginem internum coniuncta sed ad marginem ipsa excurrens. Pedes saturate helvi femorum basi nigricante. Mus. n.

21. Bombylius senilis F.

Corpore atro, griseo-hirto; alis limpidis; pedibus nigris. Longit. lin. 3. ♂. Americae merid. Insulae.

Fabr.! Ent. syst. IV. 411. 17. Bomb. senilis: alis albis immaculatis, corpore atro cinereo hirto.

Parvus. Rostrum elongatum, nigrum. Frons albo-hirta; antennis subulatis atris. Corpus nigrum hirsutie minus densa, cinerea. Alae omnino immaculatae. Pedes nigri.

Fabr. Syst. Antl. 135, 31. Bomb. senilis.

Abdomen non globosum, verum attenuatum obtuso-conicum. Alae limpidae, venis flavicantibus; halteres flavido-albi. Pedes nigri tomento griseo. Mus. de Winthem et n.

22. Bombylius fulvus *mihi.*

Niger fulvo-hirtus, alis limpidis flavido-venosis. Longit. lin. 3. ♀. America borealis.

Antennae nigrae et sicuti totum corpus fulvo-hirtae. Color thoracis niger, pleurae, pectus, scutellum, abdomen glauca. Halteres flavido-albi. Pedes nigri tomento-flavicante. Mus. de Winthem. An femina B. senilis?

23. Bombylius seriatus *mihi.*

Thorace rufo-hirto, pilis longioribus nigris obsito; abdomine ochraceo-sericante, seriebus transversis setarum nigrarum; alis ad costam fuscanis. Longit. lin. $2\frac{2}{3}$. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae (omnino Bombyliorum) barba flavicans; hypostoma et occiput rufo-hirta, pars frontis inferior rufo-, superior nigro-hirta. Thorax hirsutie rufa subtomentosa et pilis erectis nigris unde thorax colorem ochraceum nanciscitur; pleurae canae hirsutie flavicante. Abdomen tomento ochraceo-flavicante nitore sericeo, et setis longis erectis series formantibus in segmentorum margine postico; basis abdominis utrinque rufo-pilosa. Alae basi et margine costali late flavo-fuscanae, ceterum limpidae; halteres ferrugineo-flavicantes. Pedes flavido-tomentosi. Mus. Westermanni.

24. Bombylius argyropygus *mihi.*

Thorace abdominisque basi ferrugineo-hirtis, abdominis apice argenteo, alis infumatis. Longit. lin. $2\frac{1}{2}$. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae, mystax ferrugineo-flavicans, frons flavicans, pilis aliquot nigris pone antennas; occiput et thorax confertim flavicante-hirta, quod a superiore inspectum ferrugineo relucet; pleurae canae flavicante-hirtae. Abdominis segmentum 1. et basis secundi flavicante-hirta, aspectu ferrugineo; reliquum abdominis tomento argenteo tectum; et venter flavicante tantum hirtus. Alae omnino saturate infumatae; halteres fusci capitulo albido. Pedes ferrugineo-flavicantes. Mus. Westerm.

25. Bombylius pusio *mihi.*

Hirtus albus, thoracis fascia, scutello, abdominisque vittis tribus fuscis. Longit. lin. 2. ♂. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae, hypostoma albo-hirtum, barba alba; in vertice pili aliquot nigri. Thorax albo-hirtus, fascia inter alarum insertionem fusca antice tridentata; scutellum fusco-hirtum pilis longissimis erectis nigris; pleurae et pectus albo-hirta, illae fasciculo pilorum fuscano sub alis. Abdominis segmentum 1. utrinque pilis flavo-rufescentibus; vitta media latissima incipit ab apice segmenti 2., laterales a basi tertii omnes usque ad anum sunt extensae; incisurae pilis s. setis longis erectis nigris munitae. Alae fuscae apice limpidae; halteres magni fuscani, capitulo magno albido. Femora nigra tomento albo tecta, tibiae flavidae, tarsi apice fusci. Mus. Westermanni.

Tribus III. Vena secunda cum furculae apicalis ramo externo connexa.

26. Bombylius anomalus *mihi.*

Ater flavicante-hirtus; alis ad costam dimidiato fuscanis punctis, 5. fuscis. Longit. lin. 3. ♀. Prom. bon. sp. Tab. II. fig. 4.

Antennae atrae, proboscis valida et longa, sed omnino Bombyliorum, barba alba; hypostoma infra albo-, supra flavicante-hirtum; frons flavicante-hirta vittis duabus fuscis a seriebus pilorum longiorum nigrorum provenientibus. Thorax flavicante-, pleurae et pectus albo-hirta; scutellum et latera thoracis pilis longioribus s. setis raris rufis. Abdomen flavicante-hirtum; incisurae setis rufescentibus erectis; venter albo-hirtus. Alarum puncta fusca sunt limbi venarum connectentium, ante punctum basi proximum punctulum minimum limpidum; halteres magni ferruginei, capitulo dilute citrino. Pedes ferruginei; femora albo-, tibiae flavido-tomentosa; tarsorum apex fuscus. Mus. Westermanni.

Tribus ignotae.

† 27. Bombylius aequalis F.

Fabr. Ent. syst. IV. 408. 2. Alis dimidiato nigris aequalibus. Amer. bor.

Differt sane a praecedente (B. maior) duplo minor. Corpus cinereo-hirtum. Alae albae margine crassiore late nigro et colore haud sinuato, sed recto, aequali.

Fabr. Syst. Antl. 128. 2. B. aequalis.

† 28. Bombylius capensis L.

Linn. Syst. Nat. 2. 1009. 3. Alis nigro maculatis, corpore cinerascente postice nigro. Promont. bon. sp.

Linn. Mus. Lud. Ulr. 423. Corpus B. medio simile, sed paulo minus, a quo differt quod corpus lana non testacea posticeve alba, sed albido-cinerea, in postica abdominis parte nigra. Alae similes, sed punctis triplo maioribus s. potius maculis nigris. Rostrum non longitudine corporis, sed fere dimidio brevius.

Fabr. Ent. syst. IV. 409. 7. et Syst. Antl. 132. 14.

† 29. Bombylius pygmaeus F.

Fabr. Ent. syst. IV. 411. 19. Alis dimidiato punctisque nigris, thorace fusco basi apiceque albo. Amer. bor.

Minutus. Caput nigrum. Thorax villosus, fuscus margine antico et postico albo. Abdomen hirtum, ferrugineum. Alae secundum costam dimidiato nigrae et praeterea, puncta nigra sparsa. Pedes ferruginei.

Fabr. Syst. Antl. 135. 32. B. pygmaeus.

AMICTUS *mihi.*

Antennae triarticulatae: articulus 1. cylindricus, longus; 2. cyathiformis; 3. subulatus primo haud longior.

Haustellum porrectum elongatum.

Alae cellulis marginalibus retro furcam apicalem 6.

1. Amictus oblongus *mihi.*

Nigricans, thorace vitta flavicante, incisuris abdominis flavis. Marocco. - Tab. II. fig. 5.

Wiedem. zool. Mag. I. 58. Tab. 2. fig. 1. Amictus oblongus.

Fabr. Syst. Antl. 135. 27. Bombylius oblongus: oblongus, cinereus, thorace glauco lineato.

Corpus parvum at magis oblongum. Haustellum bivalve, corpore longius, atrum. Caput cinereo villosum. Thorax cinereus: lineis tribus glaucis. Abdomen conicum, cinereum, immaculatum. Pedes testacei.

Caput latius quam Bombyliis. Color corporis nigricans, in thoracis medio vitta flavicans linea longitudinali nigra bipartita. Humeri flavi; pleurae flavae. Scutellum flavo limbatum. Segmenta abdominis marginibus lateralibus et posticis flava. Incisurae ventrales pariter flavae. Halteres albidi. Alae limpidae. Pedes substraminei, femoribus antice vitta fusca. Mus. reg.

2. Amictus heteropterus *mihi.*

Glaucescens thorace fusco-lineato, pedibus silaceis; alis longissimis. Longit. lin. $3\frac{3}{4}$. Prom. bon. spei. Tab. II. fig. 6.

Antennarum articulus 1. glaucescens flavido-hirtus, 3. fusco-niger. Haustellum fusco-nigrum longitudine stethidii; hypostoma et frons dilutissime glaucescentia; barba flavicans; occiput glaucum flavicante-hirtum. Thorax glaucescens vitta media angusta postice in lineam attenuata et mox abbreviata dilutiore, utrinque linea fusca aliaque externa curva antice abbreviata. Scutellum fuscano-glaucescens; pleurae dilute glaucescentes. Stethidium ubique pilis fulvo-flavicantibus (in unico exemplare examini concesso maxima pro parte detritis). Abdomen fuscanum incisuris paulo dilutioribus, pilis fulvo-flavicantibus. Venter silaceus. Alae abdomen dimidio superantes dilute fuscanae, medio cellularum sublimpido. Pedes graciles silacei, tarsorum apex fuscus. Mus. reg. Berol.

Quamvis alarum venae ab A. oblongo sint paulum diversae, nullo alio generi hanc speciem adnumerari vellem.

THLIPSOMYZA *mihi.*

Antennae triarticulatae: articulo 1. elongato-cylindrico; 2. subcyathiformi; 3. primo haud longiore, subulato, subincurvo, spinula apicali.

Haustellum porrectum elongatum.

Alarum vena longitudinalis quinta ad marginem non excurrens; furca apicalis vena connectente cum vena longitudinali tertia cohaerens.

Thlipsomyza compressa *mihi.*

Thorace flavicante, fusco-trivittato; abdomine albido maculis obcordatis fuscis; alis limpidis. Longit. lin. 4. ♀. Algiria.

Fabr. Syst. Antl. 135. Bombylius compressus: alis albis, nudiusculus, thorace lineato, abdomine compresso incurvo.

Statura B. senilis at maior. Haustellum valde elongatum. Antennarum articulus ultimus nigricat. Caput cinereum. Thorax cinereus lineis tribus totis nigris. Abdomen compressum, incurvum, cinereum segmentis macula magna dorsali nigra.

Wiedem. Nova Dipteror. gen. p. 12. fig. 4.

Habitus a Bombyliis maxime alienus; capite thorace latiore, pedibus quam Bombyliis multo amplioribus; trunco toto glabriusculo, nullo modo lanugine hirto sed piloso tantum; abdomine non globoso sed angusto, compresso.

Antennae fuscae subtus in ochraceum vergentes, articulo tertio nigricante. Genae et hypostoma glandicolores albo micantes. Frons cinerascens, albido pilosa. Thorax flavicans vittis tribus nigro-fuscis. Pleurae flavicantes albo pruinosae. Abdomen albido-tomentosum, singulo segmento macula magna obcordata antice fusca postice subtestacea; in exem-

plaribus intactis hae maculae tomento flavo-albido obsitae esse videntur, lineis 2. obliquis fusco-nigris versus basin segmentorum in angulum iunctis tantummodo apparentibus. Halteres flavicantes. Pedes ex glandicolore in flavum abientes tomento seu pruina albida tecti; femorum apex et tarsi fusci. Mus. Fabr.

TOXOPHORA.

Antennae porrectae, capite longiores, approximatae, triarticulatae: articulis duobus inferioribus cylindricis; tertio conico.

Proboscis exserta, arcuata, capite duplo longior, palpis tenuibus cylindricis, acutis arcuatis.

1. Toxophora cuprea *mihi.*

Thorace fulvo; abdomine purpureo, linea dorsali punctorum fulvorum. Longit. lin. 4. ♂. Caienna.

Fabr. Ent. syst. IV. Bombylius cupreus: nudiusculus niger, thoracis lobo antico fulvo, abdomine cupreo: linea dorsali punctorum fulvorum.

Medius. Antennae elongatae, basi connatae, nigrae. Rostrum antennis brevius porrectum setaceum. Thorax niger, cupro nitidulus loboque antico tomentoso, fulvo. Abdomen cupreum certo situ viridi aeneum, nitidulum punctorum fulvorum linea dorsali. Pedes nigri, femoribus subtus pallidis. Alae obscurae. Tibiae posticae compressae ciliatae.

Fabr. Syst. Antl. 133. 21. Bombylius cupreus: Species mihi dubia haud rite examinata. Forte proprii generis.

Antennae nigrae; hypostoma albo-hirtum; occiput fulvo-hirtum. Thorax fulvo-hirtus, disco detrito; scutellum lateribus adhuc fulvo-hirtum. Ab-

domen tomento purpureo certo situ viridaureo sericeo-micante; praeter puncta fulva, fasciae tres lineares auratae in basi segmentorum 5 — 7. lateribus coalitae. Venter niveo-hirtus. Halteres silacei. Alae infumatae margine externo saturatius. Pedes fusco-nigri, tomento orichaleo, basin femorum posticorum, latus externum mediorum et tibiarum omnium obtegente. Mus. Fabr., de Winthem et n.

2. Toxophora iavana *mihi.*

Nigra abdomine cuprascente, vitta media albida et lateralibus latioribus externe serrato-incisis. Longit. lin. 3⅓. Iava.

Antennae nigrae articulo primo longissimo albomicante; hypostoma nigro-fuscum, lateribus niveomicans; ad latera antennarum punctum niveum; frons nigra glabra; occiput obscure cuprascens, utrinque flavicante-hirtum. Thorax valde gibbus, niger lateribus flavicante-hirtus (discus veresimiliter detritus). Abdomen obscurissime cuprascens, vitta media e tomento flavicante-albido; utrinque vitta latior ad marginem externum serrato incisa; venter incisuris marginibusque lateralibus niveo-tomentosis. Alae infumatae basi areaque costali flavicantes; halteres albi. Pedes cuprascentes tomento niveo. Mus. Westermanni.

DIOCTRIA.

Antennae porrectae, tuberculo frontis insertae, approximatae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. breviore, subcyathiformi: 3. elongato, compresso, apice stylo biarticulato obtuso.

Proboscis exserta, brevis, subhorizontalis.

Pedes postici recti, subtus ciliati.
Alae incumbentes.

1. Dioctria picta *mihi.*

Nigra hypostomate niveo, abdomine incisuris citrinis maculisque in singulo segmento binis albis transversis. Longit. lin. 5. ♂. Ross. mer.

Antennae nigrae, barba mystax vibrissae albae. Thorax niger tenuiter albo-pilosus, marginibus lateralibus late albidis. Abdomen nigrum incisuris-prima excepta-late citrinis; maculis albis transversis a basi segmentorum ad incisuras fere extensis, certo situ fere evanescentibus; segmentum 1. album basi nigrum; 2. album figura T nigra. Alae limpide flavicantes; halteres citrini. Pedes nigri, geniculis rubidis; tibiae posticae rufae. A Pallasio lecta. Mus. n.

2. Dioctria nigrita F.

Atra, alis limpidis, triente basilari nigris. Longit. lin. $2\frac{2}{3}$. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 152. 13. Dioctr. nigrita: atra, alis albis, basi nigris.

Statura parva —. Caput nigrum, oculis maximis, prominentibus. Thorax et abdomen atra, immaculata. Alae albae, basi atrae. Pedes atri, postici elongati, tibiis clavatis.

Thorax ubique fulvo-limbatus, disco atro; pleurae et pectus fulva; abdomen cinerascente nigrum, nitens. Alarum pars tertia basilaris fusca. Pedes atri valde nitentes. Mus. reg.

3. Dioctria costalis *mihi.*

Nigra; thorace rufo-, abdomine flavo-maculatis; alis ad costam dimidiato-fuscis. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♂. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 6. No. 8.

Antennae nigrae; hypostoma, mystax vibrissae et barba alba. Occiput rufo-pilosum. Humeri, anguli thoracis postici et margo scutelli gambogii. Incisurae abdominis lateribus et in segmentis tribus ultimis usque ad medium citrinae. Alae a basi ad apicem dimidiato-nigrofuscae. Halteres citrini. Pedes gambogii; femora supra macula nigra in posticis apice in reliquis basi propiore. Mus. n.

4. Dioctria haemorrhoidalis F.

Nigra, abdomine lineolis lateralibus transversis albis; ano pedibusque ferrugineis. Longit. lin. $4\frac{1}{3}$. Barbaria.

Coquebert Ill. icon. 118. tab. 26. fig. 11. Asilus haem.

Fabr. Ent. syst. IV. 389. 58. Asilus haemorrhoidalis: ater abdomine punctis lateralibus albis, ano pedibusque ferrugineis.

Statura parva praecedentium (hottentotta, morio). Antennae nigrae. Caput villoso aureum. Thorax vix tomentosus, niger. Abdomen atrum punctis utrinque 4. lateralibus albis ano pedibusque rufis. Tarsi nigricantes. Alae albidae immaculatae.

Fabr. Syst. Antl. 151. 8. Dioctria haemorrhoidalis.

Hypostoma et frons orichalcea; barba alba, vibrissae et mystax flavicantia. Thorax pube rariore grisea. Pleurae canae, fascia atra nitida. Lineolae abdominis albae in margine postico segmentorum 2—5. sitae. Apex segmenti sexti et segmentum septimum totum ferruginea. Alae griseo-turbidae; furcae apicalis ramus internus cum vena sequente ante alae marginem connexus. Halteres flavicantes. Tarsi fusci. Mus. Fabr.

5. Dioctria albo-notata *mihi.*

Nigra, abdomine utrinque maculis 4. transversis albis; alis medio infumatis. Longit. lin. 4. ♀. Bengalia.

Antennae nigrae; articulus tertius basi ochraceus; hypostoma albo-micans. Pleurae albo-micantes macula glabra nigra. Abdominis segmenta 2-5. singula utrinque in apice macula transversa alba. Alae limpidae venis in disco infumato-limbatis; halteres dilutissime rubidi. Pedes nigri. Mus. Westermanni.

6. Dioctria heterocera *mihi.*

Thorace fusco, abdomine obscure scoriaceo, alarum venis fusco limbatis. Longit. lin. 4. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae articulo tertio apice setiformi, apex ipse paulum incrassatus albus; barba alba; hypostoma globoso-convexum griseum mystace nigro. Thorax fuscus glaber, lateribus flavicans; pleurae flavicantes. Abdomen depressum, glaberrimum incisuris parum albidis, marginibus lateralibus flavidis; venter flavicans. Alae limpidissimae, sed venae omnes, exceptis iis quae in apicem ipsum excurrunt, late fusco-limbatae; halteres maximi subcarnei. Pedes rubido-flavi; femora postica elongata; femora omnia et tibiae facie anteriore nigra. Mus. Westermanni.

† 7. Dioctria cyanea F.

Fabr. Ent. syst. IV. 387. 52. Asilus cyaneus; fuscus, alis abdomineque cyaneis. Prom. bon. sp.

Magnitudo A. oelandici. Caput et thorax fusca, obscura, minime nitida. Abdomen et alae nitida, cyanea immaculata.

Fabr. Syst. Antl. 150. 3. Dioctria cyanea.

† 8. Dioctria conopsoides F.

Fabr. Ent. syst. IV. 389. 59. Asilus conopsoides: thorace nigro flavo maculato, abdomine atro: fasciis rufis. Nova Hollandia.

Parvus. Caput flavum antennis rostroque atris. Thorax niger margine maculisque flavis fugacibus. Scutellum flavescens. Abdomen cylindricum segmento secundo tertioque rufis, basi atris, quarto et quinto atris, apice rufis, sexto rufo, immaculato. Pedes rufi, plantis fuscis.

Fabr. Syst. Antl. Dioctria conopsoides.

ASILUS.

Antennae porrectae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; 3. subulato, compresso, stylo apicali setiformi.

Proboscis exserta, horizontalis.

Tibiae rectae spinulosae.

Tribus I. Alarum furcae apicalis rami ambo venae quartae inserti. Meig. tab. 21. fig. 7.

1. Asilus longus *mihi.*

Fuscanus, abdomine grisescente, pedibus subbadiis. Longit. lin. 17. ♂. Georgia Americae.

Antennae nigrae; barba albida; mystax et vibrissae grisea; hypostoma fere orichalceum; frons suborichalcea medio fuscana setulis nigris; occiput albido-pilosum, medio utrinque setulis aliquot nigris. Thorax vittis solitis fuscis in fundo flavidiore, postice cum scutello et pleuris canescens. Abdomen parum grisescens incisuris saturatius fuscis, macula triangulari obsoletissima saturatiore in quolibet segmento. Venter grisescens. Alae saturate flavicantes ad costam dilutiores; halteres fusci, capitulo dilutiore. Mus. de Winthem.

2. Asilus brunnipes *mihi.*

Flavo-virens, incisuris abdominis gilvis; pedibus badiis. Longit. lin. 12. ♀. Barbaria.

Fabr. Ent. syst. IV. 384. 35. Asil. brunnipes: hirtus cinereus alarum costa basi pedibusque ferrugineis.

Statura omnino A. forcipati, paullo maior. Antennae cinereae apice nigrae. Caput cinereum albo sublineatum. Abdomen cylindricum, cinereum, immaculatum. Alae albidae costa basi parum ferruginea. Pedes toti rufi.

Coquebert Ill. icon. 114. tab. 25. f. 24.

Fabr. Syst. Antl. 170. 27. Dasypogon brunnipes.

Antennarum articuli 1. 2. flavicante-grisei; barba vibrissae et mystax flavicantia; hypostoma et frons suborichalcea. Thorax vittis solitis, exterioribus subobsoletis, fuscanis, interstitiis fulvicantibus. Abdomen flavo-virens quasi pulveruleatum seu pruinosum. Alae limpidae, vix flavicantes, apice parum griseae. Halteres ferruginei. Pedes dilute badii, nigro-spinulosi. Mus. Fabr.

3. Asilus lucidus *Pall.*

Orichalceo-micans, thorace vittato; pedibus piceis, tibiarum basi badia. Longit. lin. circiter 12. Persia.

Wiedem. zool. Mag. II. 30.

Antennae desunt. Barba flavicans; hypostoma orichalceum; mystax flavicans; vibrissae flavicantes, supra setis nigris. Thorax vittis solitis fuscis, in fundo flavicante fere orichalceo. Abdomen prout luce obvertitur griseo-fuscanum et orichalceo-micans. Alae sublimpidae parum flavicantes, venis fuscis, submarginali ruficante. Tibiae spinis flavicantibus; femora et tibiae postice pilis longiusculis flavicantibus, tarsi spinis lateralibus flavicantibus et aliis inferioribus nigris. Mus. n.

4. Asilus plinthopygus *mihi.*

Fuscanus, abdomine basi nigro apice testaceo, pedibus nigris. Longit. lin. 11½. ♂. Cuba.

Antennae nigrae; barba alba, mystax albus, vibrissae parum flavicantes, frons nigra utrinque flavicante-hirta; occiput albidum flavicante-hirtum. Thorax flavido-fuscanus, vix obscurius lineatus, lateribus canescentibus; pleurae albido-hirtae; scutellum fuscum flavicante-hirtum. Abdominis segmenta 1. 2. tota nigra lateribus albido-hirta; 3. nigrum incisura testacea, albido- aut flavicante-hirtum; 4. testaceum, macula baseos triangulari nigra, 5 — 7. tota testacea. Alae parum flavicantes; halteres fuscani. Mus. de Winthem et Westerm.

5. Asilus abdominalis *mihi.*

Thorace fulvescente nigro-vittato, abdomine albo, alis nigro-violascentibus. Longit. lin. 10. ♂. *Amer. mer.*

Antennae nigrae, barba et mystax alba, vibrissae nigrae. Thorax fulvescens; vittae tres fusco nigrae media postice abbreviata, laterales antice abbreviatae hi interruptae. Abdomen segmentis basi tribus niveum ceteris parum flavido-album. Venter parum nigricans albo-hirtus. Alae inprimis costam versus nigrae, parum violascentes; halteres ferruginei. Pedes nigri, tibiae obscure rubidae. Mus. de Winth. et n.

6. Asilus chinensis *mihi.*

Flavicans, antennis pedibusque ferrugineis, thorace fusco-vittato abdomine vitta media obsoleta fusca. Longit. circiter lin. 10. China.

Fabr. Ent. syst. IV. 383. 34. Asilus chinensis: cinereus abdominis lateribus tibiisque testaceis.

Statura et magnitudo omnino A. maculati. Caput hirtum, cinereum antennis ferrugineis rostroque atro. Thorax cinereus, nigro sublineatus. Abdomen cinereum lateribus testaceis. Alae albae costa subtestacea.

Fabr. Syst. Antl. 169. 25. Dasypogon chinensis.

Antennae ferrugineae; hypostoma orichalceo-flavicans mystace et vibrissis flavicantibus; frons flavicans medio fusca. Thorax ex virente flavicans antice parum ochrascens lateribus dilutius flavicantibus, vittis quatuor solitis fuscis; scutellum dilutissime ex virente flavicans; pleurae sicut thoracis latera. Abdomen (apice parum mutilatum) ex virente flavicans medio fuscum, incisuris silaceis. Venter glaucescens. Alae flavicantes, venis ferrugineis. Femora rubido-fusca, tibiae et tarsi ferruginei. Mus. reg. Havn.

7. Asilus xanthopus *mihi.*

Flavicans, abdomine incisuris flavis, pedibus melleis. Longit. lin. 9. ♀. Iava.

Wiedem. zool. Mag. III. 5. No. 6.

Antennae flavae apice nigrae. Hypostoma, vibrissae et mystax flavido-alba. Stethidium rubido-flavum, supra in fuscum vergens; vittae solitae fere deletae. Abdomen ex flavo glaucum, singulo segmento utrinque macula indeterminata fusca, certo situ cum opposita confluente et tunc abdomen totum fuscum apparens, incisuris ochraceis. Venter flavicans. Alae limpidae vix flavicantes, apice et dimidio marginis interni fuscanis. Pedes mellei; femorum posteriorum apices extremi parum nigro-fusci. Mus. Westermanni et n.

8. Asilus auribarbis *Hgg.*

Niger, thorace fulvo, nigro-vittato; barba fulvicante vibrissis nigris; abdomine incisuris albis. Longit. lin. 9. ♀. Brasilia.

Antennae nigrae; hypostoma orichalceum; vibrissae nigrae. Thorax pictura solita. Pleurae fulvicantes fusco maculatae. Abdomen nigrum incisuris inprimis latere albis et albo-hirtis, margines laterales segmentorum 1 — 3. quoque albo-pilosi; in

♂. segmenta 6. 7. helva. Alae flavicantes, versus apicem saturatius. Halteres fuscani. Pedes nigri, tibiis anterioribus antice parum ruficantibus, apice nigris, anticis postice ferrugineo hirtis, in ♂. tibiae omnes ruficantes. Mus. Fabr. et n.

9. Asilus barbatus F.

Niger, thorace badio-vittato; mystace, abdominis apice et tibiis posticis albidis. Longit. lin. 8. Caienna.

Fabr. Ent. syst. IV. 379. 12. Asil. barbatus: hirsutus niger barba abdomine postice tibiisque posticis albis.

Statura et magnitudo A. gibbosi. Caput atrum pilis densis, longioribus circa os albis. Thorax ater immaculatus. Scutellum hirsutissimum, atrum. Abdomen breve, hirtum primis duobus segmentis atris, reliquis albis. Pedes pilosi, atri tibiis posticis albis.

Fabr. Syst. Antl. 155. 7. Asil. barbatus.

Variat maior capite toto atro tibiis posticis basi tantum albis.

Saepius fit ut specimina insectorum e zona torrida allatorum solutione Arsenici albi sint illinita et post exsiccationem pulvere albido coperta, quo factum est, ut Fabr. in unico collectionis suae exemplari vittas badias thoracis praetervidcrit.

Antennae nigrae. Barba alba; vibrissae sericeae flavo-albidae supra setulis brevioribus nigris; hypostoma fuscum; occiput nigro-hirtum. Thorax ater vittis tribus aequalibus badiis, externis antice abbreviatis, marginibusque lateralibus obsoletius badiis; abdominis primum segmentum totum, secundum basi nigrum, margine postico albidum, reliqua albida, parum flavicantia. Alae flavicantes, versus apicem saturatius. Pedes saturatissime badii sed nigro-hirti; tibiae posticae flavicantes albido-hirtae, tarsi postici subbadii flavicante-hirti spinis nigris. Mus. Fabr. et n. De varietate Fabr. nil constat.

10. Asilus pellitus *mihi.*

Niger, cervino-hirtus, crista thoracis cervina, vitta incisurisque abdominis nigris. Longit. lin. 8. ♂. ♀. Prom. bon. sp,

Wiedem. zool. Mag. III. 34. No. 49.

Antennae nigrae. Barba flavicans in ♀. albida; vibrissae rufae; mystax niger; hypostoma orichalceum. Thorax fuscus absque pictura solita, cervino hirtus, crista pilosa longitudinali media in scutellum transeunte cervina, in ♀. albida, et praeterea setis nigris fortibus munitus. Abdomen nigrum cervino-hirtum vitta media et incisuris calvis nigris; (in ♀. hirsuties grisea, incisurae haud nigrae) marginibus lateralibus albo-pilosis. Anus subtus ruficante-, in extremo apice vero nigro-pilosus. Alae limpidae, pars apicis externa dilute fuscana. Halteres ruficantes. Femora nigra pilis brevissimis flavicantibus, spinisque cervinis; tibiae subbadiae pilis brevissimis flavicantibus, subtus nigro fere villosae, inprimis anticae, et spinis nigris munitae; tarsi supra albido-, lateribus nigro-spinosi. Mus. n. ♂. Westermanni ♀.

11. Asilus suillus *mihi.*

Nigricans, albido-hirtus, thorace crista nigra, abdomine maculis triangularibus. Longit. lin. 8. ♀. Prom. bon. sp.

Fabr. Syst. Antl. 168. 19. Dasypogon suillus: hirtus cinereus, thorace elevato carinato.

Caput pilis elongatis hirtum. Thorax cinereus, dorso elevato, carinato, pilis nigris, elongatis hirto. Abdomen compressum, cinereum dorso nigricante. Alae albae.

Barba alba; mystax albus, vibrissae albae setis plurimis nigris; hypostoma nigricans, argentaceomicans. Thorax absque pictura solita, albo-hirtus, crista pilosa nigra, setis nigris sparsis. Scutellum

medio nigro-, lateribus albo-hirtum. Abdomen lateribus ita albo-hirtum, ut utrinque in singulo segmento appareat macula triangularis albida basi sua segmenti basi adiacente et supersit in medio segmenti macula triangularis nigricans calva apicem suum basi segmenti advertens. Alae limpidae ad venas longitudinales flavicantes. Pedes nigri, tibiae badiae, albido hirtae, spinis nigris, tarsi ut tibiae. Mus. n. a Hessio donatus.

12. Asilus rufinus *mihi.*

Thorace flavicante distincte fusco-vittato, abdomine pedibusque ruficantibus. Longit. lin. 8. ♀. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 47. No. 8.

Antennae basi rufae, articulus tertius deest. Mystax flavo-albicans supra setis aliquot nigris. Hypostoma rubidum flavo-micans. Thoracis vitta media distincte bipartita, non nisi apice extremo cohaerens; externae ter interruptae. Pleurae flavo-griseae. Scutellum et metathorax flavicantia, illo medio fuscano. Abdomen sordide rufum, fere ut superficies Gummi-guttae sed languidius; incisurae fuscae; stylus analis niger. Alae flavicantes, versus apicem melleae; venae fusco-nigrae. Halteres rufo-flavicantes. Pedes flavo-ruficantes. Mus. de Winthem et n.

13. Asilus chalcogaster *mihi.*

Aeneus, thorace nigro-cristato, vibrissis fulvis. Longit. lin. 8. ♂. ♀. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 35. No. 30.

Antennae nigrae; barba flavicans; vibrissae et mystax fulva; hypostoma orichalceo-micans. Thorax aeneus, griseo sublineatus ita ut pictura solita, quamquam obsoletior, adsit; pleurae in ♂. cuprascen-

tes. Abdomen aeneum marginibus lateralibus et incisuris parum albicantibus, pilis rarioribus flavicantibus obsitum; forceps analis maris longissimus cuprascens. Alae limpide flavicantes. Halteres rubido-fusci. Pedes aenei, supra spinis flavicantibus subtus brevioribus sed validioribus nigris; tibiae basi subbadiae. Color corporis aeneus ubique virens ad latera apicis abdominis et in ventre purpurascens. Mus. n. ♀. et de Winthem ♂.

14. Asilus bifidus *mihi.*

Thorace cano, atro-vittato, abdomine nigro argenteo fasciato, alis sublimpidis. Longit. lin. 7½. ♀. stylo anali excluso. Tranquebar.

Fabr. Syst. Antl. 170. 30. Dasypogon bifidus: thorace cinereo nigrolineato, abdomine atro: segmentorum marginibus cinereis.

Statura omnino D stylati paullo minor. Caput cinereo hirtum. Antennae nigrae: articulo ultimo longiori subulato, setigero. Thorax laete cinereus: lineis tribus abbreviatis; intermedia antice bifida postice, lateralibus antice abbreviatis. Abdomen conicum, atrum: segmentorum marginibus omnibus laete cinereis. Stylus exsertus longitudine dimidii abdominis ater. Alae immaculatae. Pedes nigri, tibiis testaceis.

Barba, mystax et vibrissae flavicantia; hypostoma subargentaceo-micans. Thoracis vitta e distinctissimae, media antice late bifida, postice abbreviata; laterales non interruptae, antice abbreviatae. Pleurae argenteo-micantes, certo situ fasciis duabus nigris. Abdomen fasciis 5. argenteis, prima segmento 1 et 2. communi, sequentibus marginibus segmentorum posticis insidentibus; margines laterales segmentorum quoque argentei. Venter totus ater, apice argenteo segmenti antipenultimi excepto. Alae vix grisescentes. Halteres rufo-ochracei. Tibiae stramineae potius quam testaceae et praeterea albomicantes; tarsi postici quoque straminei. Mus. Fabr.

15. Asilus caudatus *Hgg.*

Thorace flavicante, fusco vittato; abdomine nigro, aureo-fasciato pedibus dilute melleis Longit. lin. $7\frac{1}{2}$, stylo anali incluso 11, ♀. Nova Cambria.

Fabr. Syst. Antl. 171. 53. Dasypogon caudatus: thorace cinereo fusco maculato, abdomine nigro, segmentorum marginibus aureis: stylo longissimo.

Magnitudo et statura stylati. Caput cinereo villosum, vertice valde compresso: tuberculo elevato atro. Antennae nigrae. Thorax cinereus: lineis duabus dorsalibus maculisque lateralibus fuscis. Abdomen nigrum: segmentorum marginibus aureis styloque compresso longitudine abdominis. Pedes testacei.

Antennae nigrae; barba albida; vibrissae orichalceo-sericantes. Vertex cinerascens sed impressus, minime compressus. Thorax flavicans, postice cum scutello cinerascens; vitta media fusca longitudinaliter late divisa, vittis lateralibus, secundum longitudinem et latitudinem ita divisis ut quinque maculas fuscas certo situ tantum conspicuas efficiant, macula quinta postica impari. Pleurae cinerascentes. Abdomen nigrum, incisuris testaceo-fuscis pilis aureis obsitis; quartum segmentum totum aureo pilosum, an reliqua sint plus minus detrita? Alae limpide-flavicantes, apice late, margine interno anguste fuscanae. Mus. Fabr.

16. Asilus apicalis *mihi.*

Thorace suborichalco nigro vittato; abdomine nigro maculis trigonis lateralibus et incisuris canis; tibiis rufescentibus apice nigris. Longit. lin. $7\frac{1}{4}$. ♀. Amer. bor.

Antennae et vibrissae nigrae; mystax et barba alba; hypostoma albido micans. Thorax saturate orichalceus vix metallico nitens, vitta media linea fuscana antice latiore divisa, postice certo situ trifurcata. Pleurae canae, fusco-nigro maculatae. Abdomen certo situ fuscescens et tunc maculae trian-

gulares margine nigro a fuscedine seiunctae. Stylus analis ater glaber. Alarum venae ut in A. crabroniformi. Alae limpidae apice parum fuscanae. Halteres fuscanae capitulo albido. Pedes nigri, tibiis primoque articulo tarsorum rufescentibus, illis apice nigris. Mus. de Winthem.

17. Asilus griseus *mihi.*

Griseus thorace vitta latissima fusca, pedibus gambogiis, femorum tibiarum tarsorumque apice nigris. Longit. lin. 8. ♀. stylo anali incluso. Iava.

Antennae nigrae; hypostoma griseum; barba alba; mystax flavicans, vibrissae griseae. Thorax griseus, vitta griseo-fusca, humeris albidis; pleurae canescentes. Abdomen griseo-fuscanum, tenuiter griseo-hirtum. Alae limpidissimae; halteres flavicantes. Mus. Westermanni.

18. Asilus copulatus *mihi.*

Thorace flavicante-griseo, fusco vittato; abdomine cinerascente; pedibus rufis, femoribus apice nigris. Longit. lin. 7. ♂. ♀. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 48. No. 10.

Antennae nigrae; mystax flavo-albidus, vibrissae nigrae. Hypostoma suborichalceum. Thorax sicuti in rufino sed vittae magis nigricantes et fundus magis grisescens. Pleurae in ♂. ad schisticolorem albidumque magis, in ♀. ad flavicantem vergentes. Scutellum dilute schisticolor. Abdomen obscure cinerascens ad fuscanum vergens, incisuris laetioribus. Forceps analis in ♂. niger, subtus albo-hirtus, sursum porrectus, magnus. Stylus in ♀. niger. Alae limpide vix flavicantes apice margineque interno saturatiores. Tibiae posticae brunnescentes. Variat paulo maior fundo thoracis flavicante, pedibus magis nigris, alis saturatius flavicantibus ♀. Mus. de Winthem et n.

19. Asilus macularis *mihi.*

Niger, thorace lateribus helvis; abdomine utrinque maculis niveis. Longit. lin. $6\frac{3}{4}$—7. ♂. ♀. Amer. merid.

Affinis A. striola at longe alius.

Antennae nigrae. Hypostoma dilutissime orichalceum; barba et mystax flavicante-alba, vibrissae nigrae; frons nigra lateribus subhelvis. Thorax niger utrinque saturate helvus; pleurae subhelvae maculis nigris. Abdomen nigrum, segmentum 1-3. utrinque macula apicali nivea antice rotundata, 4. utrinque lineola transversa apicali nivea, 5. absque maculis, 6. margine apicali niveo, 7. utrinque in basi macula nivea. Praeterea margines laterales segmentorum maribus late feminis multo angustius flavicantes. Alae et halteres flavicantes. Pedes nigri, maribus tibiae parum flavido fuscanae. Mus. de Winthem et n.

20. Asilus comatus *mihi.*

Aenescens, thorace flavicante vitta lata fusca, cristata; abdomine vitta e maculis nigro-aeneis; halteribus coccinelleis. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae apice haud valde elongato; hypostoma album; mystax niger, vibrissis albis basi cervino-flavicantibus; barba parum flavicans; occiput medio cervino-, lateribus nigro-hirtum. Thorax obscure aeneus a superiore inspectus cervino-flavicans vitta fusca, albo-limbata, a posteriore limbus hic distinctius apparet; vitta ipsa crista pilorum nigrorum flavicantiumque obsita est; supra alarum insertionem setae longae rufae conspiciuntur; pleurae parum cuprascentes. Abdomen cervino-flavicans vitta aeneo-nigricante, certo situ totum aenescens. Alae parum flavicantes. Pedes obscure aeni. Mus. de Winth.

21. Asilus pallens *Pall.*

Griseus vitta thoracis gemina fusca utrinque in nodum dilatata, pedibus helvolis. Longit. lin. 6. ♂. Magna Tataria.

Wiedem. zool. Mag. II. 32.

Antennae basi flavicantes articulo tertio nigro. Barba albida; mystax et vibrissae flavicantia; hypostoma orichalceum. Thoracis vitta medio linea longitudinali grisea crassiore, utrinque linea tenuiore iterum partita, hae lineae optime conspiciuntur a posteriore; vittae laterales nullae. Abdomen flavicans in orichalceum vergens, certo situ subtessellatum. Alae limpidae, apice paulum griseae, abdomine breviores. Pedes helvoli, albido hirti, femora antice vitta fusca. Mus. n.

22. Asilus culiciformis *Pall.*

Incanus, thorace vittato, abdomine variabili subargenteo-micante segmentis utrinque bisetis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. ♂. Taurica Chersonesus.

Wiedem. zool. Mag. II. 32.

Antennae basi ochrascentes. Barba alba; mystax et vibrissae parum flavicantia; hypostoma argenteo-micans. Thorax pictura ordinaria subobsoleta. Abdomen pro varia luce varians, a posteriore visum quasi trifariam interrupte vittatum, a latere griseo-fuscanum incisuris argentaceis. Setae laterales albidae, forceps analis in mare ochraceus. Alae limpidae apice margineque interno parum griseae, abdomine breviores. Halteres flavicantes. Pedes subtestacei cano-hirti, setosi, tibiis anterioribus subtus albido-pilosis; femora supra fusco-vittata. Mus. n.

23. Asilus nigricans *mihi.*

Aeneo-nigricans; thorace nigro-cristato, abdomine maculis trapezoideis aeneis. Longit. lin. 5. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae, mystax et vibrissae nigra; hypostoma et barba albida. Thorax a superiore inspectus canescens, vitta media lata, lateralibus angustioribus interruptis nigris; antice inter vittam mediam et lateralem utrinque punctum seu macula parva nigra. Certo situ thorax totus obscure aeneus in cupreum migrans, pleurae distinctius cuprascentes. Abdomen canescens singulo segmento macula magna antice latiore viridi-aenea; latera abdominis certo situ cuprascentia. Alae parum infumatae; halteres fusci. Pedes obscure aenei, tibiarum basis rubida. Mus. de Winthem.

24. Asilus atripes *mihi.*

Thorace flavo-cinerascente, vittis exterioribus valde interruptis; abdomine fusco incisuris albidis. Longit. lin. 5. ♀. Americes insulae.

Fabr. Syst. Antl. 170. 29. Dasypogon atripes: cinereus thorace linea media punctisque duobus utrinque atris.

Parvus. Caput parvum, album, haustello antennisque atris. Thorax cinereus, linea media, antice linea parva albida punctisque utrinque duobus atris. Abdomen atrum, segmentorum marginibus albis. Pedes atri.

Barba, mystax et vibrissae albida. Thorax nigro-vittatus, vitta media longitudinaliter divisa, vittis lateralibus ita interruptis ut quaelibet maculis duabus et commate postico composita sit. Mus. reg.

25. Asilus pusio *mihi.*

Cinereus, thorace lineis transversis albidis; pedibus flavido-testaceis. Longit. lin. $4\frac{1}{2}$. ♀. Ind. or.

Wiedem. zool. Mag. III. 36. No. 52.

Antennae nigrae; hypostoma et frons albido-sericantia; mystax, vibrissae et barba grisea. Thorax vittis duabus mediis, paulo obscurioribus obsoletis, externe linea dilutiore limbatis; humeri flavicantes, ab his linea transversa versus vittam mediam directa, sutura transversa etiam flavida; pleurae canescentes. Abdominis incisurae anguste flavicantes. Alae limpidissimae; halteres flavicantes. Pedes flavidi in testaceum vergentes; femora apice punctis duobus nigris setigeris. Mus. reg.

Tribus II. Furcae apicalis alarum ramus externus paulo ultra connectionem cum vena quarta adscendens.

26. Asilus niger *mihi.*

Thorace cano, nigro vittato; abdomine nigro, tibiis subbadiis; mystace albido vibrissis nigris. Longit. lin. 13. ♀. stylo anali incluso. Georgia amer.

Antennae nigrae; hypostoma nigrum, barba et mystax albida, occiput albido-pilosum. Thorax vittis solitis; pleurae parum canescentes, thoracis anguli postici brunnei. Abdomen nigrum incisuris vix canescentibus; venter niger pilis flavicantibus. Alae flavicantes, ad costam multo minus; halteres subferruginei. Pedes nigri, tibiae subbadiae. Mus. de Winthem.

27. Asilus algirus F.

Thorace rubido-vittato; abdomine fuscano vittis tribus obsoletis nigricantibus; alis limpidis. Longit. lin. circiter 10. ♀. Tanger.

Fabr. Ent. syst. IV. 376. 3. Asilus algirus: corpore toto ferrugineo. Linn. Syst. nat. 2. 1006. 2.
Habitat in Africa.
Corpus totum ferrugineum pilis pallidis hirtum.
Fabr. Syst. Antl. 153. 3. Asilus algirus.

Antennae ferrugineae; hypostoma rubidum, mystax, vibrissae, barba alba; frons albicans. Tho-

rax rubidus in lilacinum parum incurrens, certo situ albicans, vittis duabus mediis saturatius rubidis vix linea dilutiore seiunctis, nullo situ albicantibus; vittae laterales obsoletissimae; scutellum thorace concolor; pleurae dilute rubidae, albo-pruinosae. Abdomen parum rubidum, segmentum 1 medio parum nigricans, 2. vittis tribus antice cohaerentibus nigricantibus, segmenta sequentia singula vittis tribus nigricantibus, in segmentis posticis obsoletioribus, confluentibus, lateralibus a margine segmentorum laterali distantibus; incisurae flavicantes; stylus analis obscure badius. Alae limpidae apice vix parum flavicantes; vena costalis flavicans, venae ceterae fuscae, decursus sicut in A. striola; halteres flavi. Pedes trunco concolores paulo magis flavo mixti, femora antice vitta abbreviata fusca. Pedes piliolis setisque albis. Mus. reg. Havn.

An haec species sit Linnéana, non decidam.

28. Asilus nigrinus *mihi.*

Thorace cinerascente nigro-vittato; abdomine nigro incisuris albidis, pedibus nigris, vibrissis nigris, mystace albido. Longit. lin. 10. stylo anali incluso. Brasilia.

Antennae nigrae; hypostoma fusco-nigrum, albido-micans; mystax albidus, vibrissae nigrae, barba et hirsuties occipitis albae; frons nigra parum cinerascens. Thoracis vittae solitae latissimae, media linea longitudinali cinerascente divisa postice abbreviata, laterales bisinterruptae apice abrupte angustatae; ante scutellum macula trigona nigra. Pleurae obscure cinerascentes Abdomen pilis rarioribus grisescentibus: margines laterales albo-micantes. Venter niger certo situ parum albicans, pilis albis. Alae flavicantes apice saturatiore; halteres ferrugineo-flavidi. Pedes nigri. Mus. n. et Berol.

29. Asilus pogonias *mihi.*

Fuscanus, thorace obsoletissime vittato, vibrissis albidis; pedibus nigris tibiis badiis. Longit. lin. 11. ♀. Amer. bor.

Fabr. Syst. Antl. 169. Dasypogon barbatus: cinereus abdominis apice atro, capitis barba alba.

Statura A. forcipati. Caput cinereum, barba albida. Thorax cinereus. Abdomen compressum cinereum, ano atro, feminae stylato. Pedes nigri.

Antennae nigrae; hypostoma flavicans; barba et vibrissae flavido-alba, mystax niger; frons fuscana setis nigris. Thorax fuscanus obscure cinerascens, vittis nigris solitis obsoletissimis, pleurae obscure cinerascentes, maculis fuscis obsoletis. Abdomen nigrum, marginibus lateralibus usque ad basin segmentorum et certo situ omnino fere cinerascens. Alae flavicantes. Pedes nigri, tibiis badiis apice nigris. Mus. Fabr.

Mas? Omni respectu similis, at color ubique magis ferruginoso mixtus; vittae thoracis distinctiores media longitudinaliter divisa; vibrissae magis flavicantes. Femorum pars anterior vitta lata badia.

30. Asilus stylatus *mihi.*

Canescens thorace nigro-vittato; abdominis segmentis singulis macula maxima nigra; tibiis rufis. Longit. lin. 10. ♀. Americae Insulae.

Fabr. Syst. Ent. 795. 19. Asilus stylatus: hirtus cinereus thorace abdomineque nigro maculatis, tibiis rufis, ano stylato.
A. forcipato paullo maior. Thorax cinereus linea lata, dorsali maculisque utrinque duabus nigris. Abdomen supra nigrum, stylo exserto atro, longitudine dimidii abdominis. Pedes atri, tibiis rufis. Alae albae.
Fabr. Ent. syst. IV. 384. 58 Asilus stylatus.
Fabr. Syst. Antl. 171. 31. Dasypogon stylatus.

Antennae nigrae. Barba helvola, mystax albidus vibrissis nigris; hypostoma albicans. Thorax

canescens, vittis solitis nigris, exterioribus cano bis-interruptis, et linea antice flavicante a vitta media separatis. Scutellum et pleurae canescentia. Abdominis tergum totum fere nigrum marginibus lateralibus omni situ, incisuris certo nonnisi situ canis. Venter subschisticolor. Alae limpidae apice flavicantes, venis fuscis in basi rufescentibus. Halteres subbadii. Pedes nigri, tibiarum apex extremus niger. Mus. Fabr.

In Museo de Winthem exstat exemplar maris e Brasilia missum, barba alba, colore thoracis subhelvo abdominis segmento 1. cano; 2—4. nigro-fuscis marginibus lateralibus late canis ante apicem transverse dilatatis albo pilosis, ita ut fasciam canam medio interruptam in dorso segmentorum forment, segmentum 5. omnino fere albidum medio subcruciato fuscum macula alba inclusa; 6. 7. omnino alba subargentea; forceps analis valida elongata nigra. Alarum costa pone medium paulo extrorsum flexa. Femora nigra apice badia, badio in superficie superiore magis quam in inferiore extenso; tibiae omnino badiae, tarsi nigri articulo primo badio.

31. Asilus striola *mihi.*

Cinerascens, thorace vitta unica fusca, antice divisa; abdomine nigro, singulo segmento maculis utrinque baseos canis, apicis flavicantibus. Longit. lin. 9—10. ♂. ♀. Brasilia.

Fabr. Syst. Antl. 172. 38. Dasypogon striola: pilosus thorace cinereo: dorso atro: linea alba, abdomine atro: margine segmentoque sexto cinereis.

Caput album, haustello verticeque nigris. Thorax pilosus cinereus, dorso lato atro; linea alba. Abdomen acutum, atrum: segmentis 5. prioribus margine exteriori, sexto toto cinereis. Pedes pilosi, atri.

Antennae nigrae basi rubidae. Barba albida; vibrissae flavicantes superiores nigri; mystax flavicans setis externis nigris; hypostoma flavicans, frons in-

fra cinerascens supra saturate flavicans. Thorax vitta media fusca linea albida longitudinali antice divisa; vittae solitae laterales desunt, certo situ vittulae duae fuscae utrinque in thoracis parte posteriore in conspectum veniunt. Thoracis latera pro luce varia fusco-cinerascentia aut cana aut flavicantia Metathorax utrinque macula cana. Abdominis segmenta 1—3. utrinque macula cana, antice excisa, pilis albidis obsita; segmentum 4. utrinque macula transversa lineari marginis postici, 5. absque ulla macula, 6. et 7. utrinque macula flavicante ♂, cana ♀. maiore segmentum sextum saepius fere totum occupante. Alae limpidae parum flavicantes. Halteres rubido-fusci. Pedes pilis griseis obsiti et spinulis nigris muniti; at color fundamentalis minime ater sed obscure badius in ♀. dilutior. Mus. Fabr. et n.

32. Asilus aestuans *mihi.*

Rubido-fuscus, thorace nigro-lineato; abdomine nigro-tessellato; mare abdominis segmentis duabus penultimis albis. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$ — 8. ♂. ♀. America bor.

Linn. Syst. Nat. II. 1007. 5. Asilus aestuans: cinereus, abdominis ultimis tribus segmentis albis.
Linn. Amoen. acad. VI. 413. 95.
Fabr. Syst. Ent. 793. 8. Asilus aestuans.
Fabr. Ent. syst. IV. 379. 14. Asilus aestuans.
Fabr. Syst. Antl. 164. 2. Dasypogon aestuans.

Antennae nigrae; barba et vibrissae rufo-flavicantes; frons rubido fuscana, pilis nigris. Thorax lineis tribus mediis approximatis nigris. Pleurae rubido-fuscae. Abdomen distincte tessellatum; in mare segmenta 6. 7. tergo et ventre alba; 8. fuscum, forceps analis piceus maximus sursum porrectus. Stylus analis feminae vix linearum 2. Alae limpide-flavicantes. Halteres fusci. Pedes nigri; tibiis apice excepto rubidis. Mus. Fabr. ♂. et n. ♀.

Tribus III. Furcae apicalis alarum ramus externus ad venam tertiam adscendens et ei insertus. Meig. tab. 21. f. 8. *)

33. Asilus capensis F.

Thorace ochraceo; abdomine nigro maculis lateralibus griseis; alis subferrugineis. Longit. lin. 14. Prom. bon. sp.

Fabr. Syst. Antl. 154. 4. Asil. capensis: thorace obscure ferrugineo, abdomine atro, alis subferrugineis.

Maior A. crabroniformi. Caput barbatum, cinereum. Antennae desunt. Thorax dorso obscure cinereo, subtus obscurus. Abdomen atrum, immaculatum. Alae obscure ferrugineae. Pedes nigri.

Caput flavicans; barba intense flavicans, mystax et vibrissae albida; palporum setulae nigrae. Thorax non cinereus sed obscure ochraceus. Abdomen non plane immaculatum, nam quolibet segmento (tribus ultimis exceptis) utroque latere insidet macula grisea. Apex abdominis rugulosus et politus. Alarum venae paulo a ceteris diversa. Pedes subbadii. Mus. reg.

34. Asilus quadratus *mihi*.

Fuscus, abdomine atro, fuscano-limbato, incisuris albis. Longit. lin. 14. ♀. Georgia americana.

Statura crassa. Antennae nigrae; hypostoma dilute suborichalceum inferne fuscanum; barba, mystax, vibrissae flavicantia; frons fuscana; occiput albo-pilosum, setulis aliquot nigris. Thorax vittis solitis fuscis, interstitiis cervinis, vittae laterales maculam includunt glaucescentem; limbus thoracis, scutellum, pleurae albo-pilosa. Abdomen atrum, incisuris utrinque latius, medio sensim angustius al-

---

*) Saepius ramo interno multo propior quam in icone Meigenii.

bo-pilosis; venter fuscanus. Alae vix flavicante halteres fusci. Pedes badii. Mus. de Winthem.

35. Asilus infernalis *mihi*.

Ater, scutello abdominisque lateribus fulvo-hirtis. Longit. lin. 12. usque ad alarum apicem lin. 16. ♂. Brasilia.

A. bomboidi affinis; statura crassa. Antennae nigrae, seta apice albida. Hypostoma nigrum, nitens, pilis tenuibus nigris; vibrissae nigrae medio setis aliquot flavido-albicantibus, barba utrinque nivea. Thorax ater nigro-hirtus, pleurae fuliginoso-atrae nigro hirtae. Scutellum hirsutie longa, intense fulva obsitum. Abdomen nigrum, basis usque ad apicem segmenti secundi reliqua segmenta lateribus tantum fulvo-, quid? quod subaurantiaco-hirta; venter atro hirtus versus apicem pilis aliquot albidis intersparsis. Alae fuscae; cyanescentes. Pedes nigri et nigro hirti, tibiis saturatissime badiis. Mus. Westermanni.

36. Asilus maculatus *mihi*.

Fuscus, abdomine griseo: macula magna quadrata atra, in singulo segmento; pedibus ruficantibus. Longit. lin. 12 — 14. ♂. ♀. India or.

Fabr. Syst. Ent. 794. 17. Asil. maculatus: cinereus abdominis segmentis macula quadrata atra, pedibus piceis: plantis nigris.

Habitat in India orientali Dr. Koenig.

Duplo maior A. forcipato. Corpus cinereum. Haustellum apice nigrum. Abdomen elongatum, cylindricum macula magna, dorsali, quadrata, atra in singulo segmento, ultimo excepto. Pedes apice nigri.

Fabr. Syst Ent. IV. 383. 33. Asil. maculatus.

Fabr. Syst. Antl. 169. 24. Dasypogon maculatus: cinereus abdominis segmentis macula quadrata atra, pedibus piceis: plantis nigris.

Habitat in Italia Dr. Koenig.

Errorem hic irrepsisse patet ex mutatione differentiae specificae et patriae in Fabr. Syst. Antl. Exemplari mutilato Mus. Fabr. schedula erat affixa pariter erronea. Huic exemplari thorace valde detrito et abdominis apice carente una antenna integra remansit, qua patet Asilum esse; exemplaria duo Musei n. illi omnino similia ansam praebent sequentibus observationibus.

Antennae fuscae; barba albida; hypostoma flavicans, orichalceo fere micans; vibrissae et mystax flavicantia. Thorax detritus fuscus; intactus vittis solitis tribus fuscis, media longitudinaliter divisa, in fundo fulvicante Abdomen griseum, macula atra in basi singuli segmenti fere duas trientes occupante. Maris anus supra fasciculo pilorum alborum. Alae limpidae vix flavicantes, vittula distincta cinerascente inter venam 2. et 3. longitudinalem ad alae apicem. Pedes toti ruficantes, spinulis et setulis nigris in tarsis densioribus. Mus. Fabr. et n.

37. Asilus bomboides *Hgg.*

Hirtus ater, pleuris, scutello, abdominis basi et ano griseo-hirtis. Longit. lin. 12 — 13. ♂. Georgia americana.

Antennae nigrae, barba, vibrissae, mystax, occipitis hirsuties grisea; frons nigro-hirta. Thorax ater, pube atra, pleurae atrae antice vitta, postice fascia pilorum griseorum Abdominis segmenta 1 - 3. et duo ultima griseo-hirta. Alae melleae venis rufis, halteres rufo-fusci. Pedes atri atro-hirsuti, postici in altero sexu subtus griseo hirti. Mus. n.

38. Asilus rufipes F.

Fuscus, abdomine flavicante, fasciis abbreviatis nigris, tibiis rufis. Longit. lin. 12. et ultra. America.

Fabr. Syst. Ent. 794. 16. Asilus rufipes: fuscus abdomine cinereo; fasciis apiceque nigris, tibiis rufis.

A. forcipato duplo maior. Haustellum porrectum nigrum. Antennae setariae. Frons pubescens, cinerea; thorax elevatus, pilosus, fuscus. Abdomen conicum, cinereum fasciis 4. apiceque nigris. Alae obscurae. Pedes nigri, tibiis rufis.

Fabr. Ent. syst. IV. 383. 32. Asilus rufipes.
Fabr. Syst. Antl. 169. 23. Dasypogon rufipes.

Barba, vibrissae, mystax, hypostoma flavicantia. Antennae nigrae. Frons fusca. Thorax fuscus lineis obsoletis ochraceis; pleurae fuscae. Abdominis fasciae nigrae latae basin segmentorum tenent, margines laterales non attingunt. Alae saturate flavicant. Halteres fusci. Tibiae apice antice nigricant. Mus. Fabr.

39. Asilus canus *mihi.*

Canus, abdomine nigro-fasciato, tibiis rufis. Longit. lin. 11. ♀. Desertum caspium.

Wiedem. zool. Mag. II. 28.

Barba, vibrissae, mystax, hypostoma alba. Antennae nigrae. Thorax nigricans lineis canis picturam solitam efficientibus. Pleurae cano-hirtae. Abdomen canum, singulo segmento fascia basilari nigra lata abbreviata. Alae limpidae vix flavicantes, venis rufo-ochraceis. Halteres ochracei. Pedes nigri, tibiis rufis apice extremo nigris. Mus. n.

40. Asilus Hircus F.

Niger, vibrissis abdominisque segmentis tribus griseo-flavicantibus, femoribus et tibiarum basi rufis. Longit. lin. 9. ♀. Sumatra.

Fabr. Syst. Antl. 155. 8. Asilus hircus: hirsutus ater barba abdomineque segmentis duobus cinereis[1], femoribus rufis.

Paullo minor A. barbato. Caput nigrum, barba albida. Thorax pilosus, niger, immaculatus. Abdomen conicum, nigrum, segmento primo secundoque cinereo hirtis. Pedes nigri, femoribus ferrugineis.

Palpi nigri, supra pilis nigris, subtus pilis griseis; mystax niger, vibrissae tenues flavicantes. Hypostoma flavicans. Thorax nigro-fuscus lateribus griseo-flavicantibus. Abdomen atrum segmento 1-3. flavicante-hirtis Alae flavicantes; venarum decursus A. capensi similis; halteres obscure ferruginei. Non femora solum, verum etiam pars tibiarum, quid? quod in pedibus intermediis tibiae fere totae (apice excepto) ferrugineo-rufae; femorum anticorum facies anterior tota, reliquorum apex supra niger. Mus. reg.

41. Asilus iavanus *mihi.*

Fuscus, abdomine albo-limbato, alis flavicantibus, apice margineque interno fuscanis. Longit. lin. 9. ♂. Iava.

Wiedem. zool. Mag. III. 4. No. 5.

Antennae nigrae; barba alba; hypostoma et vibrissae flavicantia; mystax niger. Thoracis vittae solitae nigro-fuscae in fundo intense flavicante, media linea longitudinali distincta flavicante divisa. Pleurae flavicantes maculis aliquot fuscis. Abdomen nigrum incisuris rubido-flavis et griseo-hirtis. A superiore visum, abdomen flavo-griseum limbo laterali albido-micante. Venter incisuris distincte rubidis, et certo situ linea media longitudinali albida. Venae alarum fusco-nigrae. Halteres flavi. Pedes nigri; facie anteriore tibiarum sola rubida, apicibus et tarsis postice fulvis. Mus. Westermanni et n.

42. Asilus annulatus *Hgg.*

Griseus, thorace uni-, abdomine trivittatis, femoribus melleis fascia nigra. Longit. lin. 8 — 10. ♂. ♀. India orient.

Fabr. Syst. Ent. 794. 18. Asil. annulatus: cinereus abdomine apice nigro, femoribus testaceis: annulo nigro,

Statura et magnitudo A. forcipati. Caput cinereum haustello nigro. Thorax elevatus, cinereus linea dorsali obscuriore. Abdomen conicum ano atro. Alae aqueae apice fuscescentes. Pedes testacei femoribus annulo nigro.

Fabr. Ent. syst. IV. 384. 37. Asil. annulatus.

Fabr. Syst. Antl. 171. 32. Dasypogon annulatus.

Antennae melleae, apice fuscanae. Barba albida, vibrissae griseo-albidae; hypostoma sericeo-albicans, frons cinerascens. Thorax maris canescens, feminae griseus, vitta media fusca, spatio rubido longitudinaliter divisa; utrinque maculis tribus fuscis. Abdomen singulo segmento vittis tribus fuscis, postice abbreviatis, media obsoletiore. Hae vittulae iunctim vittas tres componunt totum abdomen percurrentes, ad incisuras interruptas. Alae limpidae, in ♀. apice longius, in ♂. brevius griseae; in ♂. margine externo retro medium convexo-dilatatae ibique transversim plicatae. Halteres flavicantes. Pedes dilute mellei, femorum fascia ante apicem sita. Mus. Fabr.

43. Asilus fraternus *mihi.*

Flavo-cinerascens, thorace vittis et maculis fuscis; abdomine obscure cinereo lateribus fusco; pedibus interne rufescentibus. Longit. lin. 9¼. ♂. Guinea.

Wiedem. zool. Mag. III. 33. No. 48.

Affinis A. hospes. Antennae nigrae; hypostoma et frons flavicantia; vibrissae griseae; barba albida. Thorax flavocinerascens vittis duabus mediis approximatis antice multo latioribus nigro-fuscis externe flavicante limbatis, inter quarum extremitatem anticam striola flavicans; vittae exteriores ita interruptae ut tres forment maculas saturate nigro-fuscas, quarum 1. oblique triangularis apice retrorsum et introrsum directa ante basin striolam fuscam habet, 2. ovalis, saturatior, flavido limbata, 3. parva crassa commati-

formis flavido limbata, inter has vittulae tres dilutiores scutellum cinerascens attingentes; pleurae canae maculis aliquot paulo obscurioribus. Abdomen medio cinereo- valde obscurum lateribus fuscanum, marginibus lateralibus ipsis et incisuris dilute cinereis; singulum segmentum utrinque setis duabus albis. Alae parum flavicantes, apice griseae; halteres ferruginei; pedes glauci, femora et tibiae interne tarsorum basis supra rubida. Mus. reg.

44. Asilus hospes *mihi.*

Thorace flavicante, fusco-vittato; abdomine fasciis glaucescentibus, pedibus glaucis. Longit. lin. 9½. ♀. Tranquebar.

Wiedem. zool. Mag. III. 32. No. 47.

Antennae nigrae; hypostoma et frons grisea, parum sericea; vertex flavicans; vibrissae griseae; barba medio minus flavicans. Thorax flavicans, vittis duabus mediis nigro-fuscis approximatis interne angustius externe latius flavo-limbatis, postice abbreviatis, vittis duabus exterioribus bis interruptis, vivacius fuscis, antice abbreviatis, postice scutellum fere attingentibus; inter harum vittarum extremitatem posticam vittula media scutellum attingens, ante illarum extremitatem anticam macula parva humeralis fusca; iuxta vittas exteriores utrinque vitta lateralis latior grisea magis quam fusca, semel interrupta et pone hanc punctum seu macula triangularis saturate fusca instar commatis crassi recti. Scutellum flavicans, margo lateralis thoracis et scutelli totus setis nigris munitus, thorax et scutellum praeterea griseo-pubescentia; pleurae griseae. Abdomen fuscanum, segmentorum marginibus posticis et lateralibus glaucescens; venter dilute glaucescens incisuris albidis. Alae abdomine quadrante breviores sublimpidae apice parum fuscanae; halteres ferruginei. Pedes glauci, facies inferior api-

cum femorum et basis tibiarum rubidae; tibiae anticae facie inferiore fulvo-hirtae. Mus. reg.

45. Asilus fasciatus *mihi.*

Ater abdominis basi fasciis duabus pilosis albis. Longit. lin. 9. ♂. Sierra Leona et Guinea.

Fabr. Ent. syst. IV. 379. 13. Asilus fasciatus: hirtus niger abdomine basi fasciis duabus niveis.

Caput nigrum, ferrugineo pilosum. Thorax niger lateribus scutelloque subferrugineis. Abdomen nigrum basi fasciis duabus approximatis e pilis niveis. Alae fuscescentes. Pedes nigri pilis ferrugineis.

Fabr. Syst. Antl. 158. 11. Laphria fasciata.

Antennae nigrae seta terminali longa; hypostoma griseo-flavicans, mystace nigro, vibrissis griseis, frons nigra. Thorax ater, lateribus parum fuscis, scutellum certo situ fuscanum; pleurae nigrae certo situ grisescentes. Abdominis segmentum 1. fuscum utrinque pilis aliquot flavicantibus; segmentorum 2. et 3. singulum fascia e pilis albis longioribus utroque latere extrorsum directis ita ut fascia prima subinterrupta appareat, secunda vere sit interrupta; abdominis tergum atrum incisuris fuscis, venter nigricans, pilis raris longioribus albidis, incisuris fuscanis. Alae intense flavicantes, area costalis cellulaque ante furculam apicalem, fuscana. Pedes nigri, pilis griseis, setibusque nigris. Mus. reg.

46. Asilus nigritarsis *Hgg.*

Fuscus fulvo-pilosus; pedibus rufis, tarsis posticis dilatatis nigris. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$ — $9\frac{1}{2}$. Brasilia.

Fabr. Syst. Antl. 168. 18. Dasypogon nigritarsis: fuscus brunneo pilosus pedibus brunneis, tarsis pilosis atris.

Paullo maior A. forcipato. Antennae nigrae. Caput pilis brunneis tectum. Thorax pilosus, fuscus: li-

nea marginali brunnea. Abdomen fuscum pilis brunneis imprimis ad margines segmentorum. Pedes brunnei, tarsis pilosis nigris. Alae albidae.

Antennae nigrae. Barba flavicans, palpi nigri pilis rufis, vibrissae dilute fulvae, setis aliquot nigris; hypostoma fulvum, infra rufescens. Thorax fusco vittatus pictura solita subobsoleta fulva. Abdomen fulvo-pilosum, in mare ultimis tribus segmentis nigro-pilosis fasciculo pilorum alborum supra anum. Alae melleae. Halteres ruficantes. Pedes rufi, femoribus anterioribus facie antica nigris, tarsis anterioribus saturatius rufis, posticis dilatatis nigris. Mus. Fabr. specimina tria, antennis mutilatis. Mus. Hgg. antennis integris.

Mirum! Fabr. brunnea enuntiavisse omnia quae sunt fulva.

47. Asilus nigripes F.

Thorace fulvo, atro-vittato; abdomine atro, maculis lateralibus triangularibus griseis, fasciisque albido-, aut fulvo-pilosis. Longit. lin. 7. ♂. ♀. Brasilia.

> Fabr. Ent. syst. IV. 385. 39. Asilus nigripes: hirtus niger thorace lineis 4, abdomine cingulis tribus albis.
>
> Statura omnino praecedentis (A. stylatus), at paullo minor et alius. Caput pilosum, albidum rostro antennisque setariis atris. Thorax hirtus, niger lineis 4. albis. Abdomen apice acutissimum, atrum cingulis tribus baseos albis. Alae hyalinae. Pedes atri.
>
> Fabr. Syst. Antl. 171. 34.

Antennae nigrae, hypostoma aurulentum ♂, orichalceum ♀, barba et mystax fulva, vibrissae nigrae ♂; barba alba, mystax flavicans, vibrissae nigrae ♀; frons pilis tenuibus nigris. Thorax vittis tribus solitis, media longitudinaliter divisa, lateralibus minus ac in aliis interruptis. Abdomen singulo segmento utrinque macula, marginem lateralem et posticum attingente grisea, pilis fulvis obsita qui in segmentis 4. anterioribus dimidium posticum totum segmento-

rum quoque occupant et sic fascias latas efficiunt ♂. In femina pili interdum albidi fascias tres tantum formantes; stylus analis fem. longus chalybeus. Alae dilute melleae apice versus marginem externum imprimis cinerascentes. Halteres ruficantes. Pedes nigri fulvicante-pilosi. Variat tibiis rufis. Mus. Fabr. et n.

In Fabr. Museo exstat exemplar unicum nigripedis ☿, in quo abdominis fasciae albidae lineae vero vittas thoracis separantes vere fulvae minime albae sunt; in Mus. n. ♀ fasciis abdominis dilute fulvis, ex Bahia in Brasilia. Maris exemplaria duo in Mus. Fabr. extant sub nomine *elegans*, sine indicatione patriae, unum tibiis rufis. Exemplar ♂. n. eleganti omnino simillimum e collectione Hgg. sub nomine elegantis acceptum ex Bahia pariter allatum est.

48. Asilus calidus *mihi.*

Flavicante-hirtus; thorace fusco; abdomine atro incisuris flavicantibus. Longit. lin. 7. America merid.

> Fabr. Ent. syst. IV. 380. 17. Asil. calidus: hirtus gilvus thorace fusco, abdomine nigro segmentorum marginibus albis.
>
> Habitat Caiennae.
>
> Statura et magnitudo praecedentium (A. Diadema, ater). Caput hirsutie densa gilva. Antennae nigrae. Thorax supra fuscus, immaculatus, subtus hirsutie gilva. Abdomen breve, atrum segmentorum marginibus albis. Alae albidae. Femora obscura sive fusca. Tibiae hirtae, testaceae. Tarsi nigri.
>
> Fabr. Syst. Antl. 159. 12. Laphria calida.

Statura robusta A. barbati, cum Das. Diadema haud comparanda. Antennae basi ferruginosae, articulo tertio nigro; barba flavo-albida, mystax et vibrissae dilute flavicantia; hypostoma subcereum. Thorax fuscus pube ferruginea, pictura solita obsoletissima. Pleurae flavicante-, postice ferrugineo-hirtae. Scutellum ferruginoso-hirtum. Abdomen

atrum; segmentorum margines postice flavicante ciliati. Venter ad basin albido -, versus apicem sulphureo-hirtus. Anus supra et subtus albus. Alae flavicantes, nervis rubidis. Halteres ochracei capitulo fusco. Pedes fere badii tibiis rufis, hirsutie flavicante in tibiis et tarsis postice rufa; tibiae posticae et tarsi postice externe albido-hirta. Mus. Fabr. exemplar unicum cui caput deest. Mus. n. integrum a Winthemio donatum ex Brasilia allatum.

49. Asilus annularis *mihi*.

Anthracinus, thorace albido-notato; abdominis basi fasciis duabus albido-pilosis; alis fusco-violaceis. Longit. $7\frac{1}{2}$. ♀. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 171. 55. Dasypogon annularis: ater thorace maculis duabus annularibus, abdomine basi strigis duabus cinereo hirtis.

Statura D. stylati. Antennae nigrae. Caput cinereum, pilis atris barbaque alba. Thorax ater annulis duobus albidis. Abdomen atrum basi strigis duabus e pilis cinereis, apice compressum acutissimum. Pedes pilosi, atri: tibiis posticis basi testaceis.

Barba et mystax alba; vibrissae nigrae; hypostoma argenteum. Thoracis maculae annulares a Fabr. dictae sunt lineae in figuram rhomboidalem coeuntes. Vittae solitae nempe vix lineis albidis distinctae; talium linearum tres obsoletiores adsunt in thoracis medio, utrinque vero vitta albida; suturae transversae thoracis duae pariter albido notatae, ita ut lineas oblique transversas forment inter vittas laterales et lineas medias exteriores, spatium rhomboidale anthracinum includentes. Strigae pilorum alborum, seu potius fasciae, pilis rarioribus constant et sunt obsoletae. Stylus analis chalybeus et transversim rugulosus. Alae fuso-violaceae. Halteres fusci. Tibiarum posticarum triens apicalis niger. Mus. Fabr.

50. Asilus agnitus *mihi.*

Fuscanus, thorace quadrivittato, abdomine tessellato. Longit. lin. 6. ♂. Sumatra.

Wiedem. zool. Mag. III. 35. No. 51.

Caput et thoracis pictura ut in A. fraterno, limbo vittarum thoracis mediarum, striola ante vittas laterales, et vittulis lateralibus inter maculas commati-formes posticas deficientibus; color fundamentalis thoracis illo obscurior, lateribus et humeris tantum dilutius flavicans. Abdomen fuscanum griseotessellatum, certo situ griseo fuscatum, marginibus lateralibus canescens. Alae parum flavicantes, apice et margine interno griseae. Pedes nigricantes; femora postice saturatissime, tibiae paulo dilutius badio-diaphana. Mus. reg.

Tribus ignotae.

† 51. Asilus grossus F.

Fabr. Ent. syst. IV. 376. 1. Hirsutus niger thorace abdominisque basi cinereis. America.

Gigas in hoc genere. Caput nigrum fronte lateribusque hirsutie longiore, cinerea tectis. Rostrum crassum, compressum nigrum. Thorax niger superne hirsutie densa cinerea tectus. Alae cinereae venis fuscis. Sub scutello puncta duo flava. Abdomen breve ovatum primo segmento nudo, nigro, secundo tertioque hirtis, cinereis, reliquis nigris. Pedes inermes, nigri.

Fabr. Syst. Antl. 153. 1. Asilus grossus.

† 52. Asilus maurus *Linn.*

Linn. Syst. Nat. 2. 1006. 1. A. subferrugineus, pectoris lateribus punctis thoracisque dorso lineis tribus nigris. Mauritania.

Magnitudo A. crabroniformis. Antennae ferrugineae. Abdominis segmenta margine fusca.
Fabr. Ent. syst. IV. 376. 2. Asilus maurus.
Fabr. Syst. Antl. 153. 2. Asilus maurus.

OMMATIUS *Ill.*

Antennarum seta apicalis plumata. Venae alarum sicuti in Asilo.

1. Ommatius marginellus *Hgg.*

Thorace griseo-flavicante, fusco-vittato; abdomine nigro-fusco, pedibus rufis, femoribus tibiisque apice nigris. Longit. lin. 4—7½. Brasilia.

Fabr. Spec. ins. II. 464. 22. Asilus marginellus: cinereo-fuscus pedibus rufis apice nigris, alis margine atro.
Habitat in insula St. Croix Americes.
Corpus obscure cinereum frontis barba albida. Pedes omnes rufi, apice nigri. Alae albidae margine crassiori inprimis in medio atro.
Fabr. Ent. syst. IV. 384. 36. Asil. marginellns.
Fabr. Syst. Antl. 170. 28. Dasypogon marginellus.

Antennae nigrae. Barba albida, mystax albidus, vibrissis nigris ♀, mystax aurulentus ♂. Hypostoma orichalceum. Thorax vittis solitis. Abdomen fuscum in ♂. minus nigricans, flavicante inprimis ad latera pubescens, forcipe anali exigua; in ♀. nigricans albido-pubescens, absque stylo anali. Alae limpide flavicantes, apice grisescentes, in ♂. margine externo post medium dilatatae ibique transversim plicato-striatae; in ♀. haud dilatatae et vix plicato-striatae. Halteres rufi. Tarsi fusco-nigri. Mus. Fabr. ♂. n. ♀.

2. Ommatius auratus *Hgg.*

Thorace aureo-micante, vittis fuscis, abdomine

pedibusque testaceis, illo segmentis duobus nigris. Longit. lin. 6—$7\frac{1}{2}$. ♀. India or.

Fabr. Ent. syst. IV. 387. 48. Asilus auratus: villoso aureus thoracis dorso fusco, abdomine testaceo: segmentis duobus nigris.

Statura praecedentis (A. lineatus). Caput villoso aureum rostro oculisque nigris. Thorax villoso aureus dorso fusco, vix lineato. Abdomen planum, apice subcrassius, testaceum segmento quarto et quinto nigris. Pedes testacei, apice nigri.

Fabr. Syst. Antl. 167. 12. Dasypogon auratus.

Antennae basi rufae, articulus tertius niger, elongatus, seta apicali brevi plumata. Barba albida, mystax flavicans. Hypostoma aureum. Thorax minime villosus, verum integumento aureo squamuloso vel pruinoso obductus, vittis solitis fuscis; pleurae aureae. Abdominis segmenta duo nigra marginibus posticis testacea sunt. Alae testaceo-flavicantes. Femorum posteriorum apices utrinque puncto nigro notati, ceterum pedes ubique testacei, spinis nigris. Mus. Fabr. et n.

3. Ommatius fulvidus *mihi.*

Fulvidus abdomine nigro incisuris fulvis, pedibus nigris tibiis rufis. Longit. lin. 9. ♂. Iava.

Antennarum articulus tertius niger; hypostoma fulvum, mystax fulvus, vibrissae flavicantes; frons fulva. Thorax fulvidus, pleurae suborichalceae. Abdomen certo situ fulvescens pilis brevissimis nigris, incisurae saturatissime fulvae in ferrugineum vergentes; anus subrubiginosus. Alae abdomen longitudine superantes, saturate flavicantes apice et margine interno dilute fuscanis; halteres ferrugineo-flavicantes. Mus. Westermanni.

DASYPOGON.

Antennae porrectae, triarticulatae: articulis duobus inferioribus subcylindricis aequalibus; 3. elongato, compresso subfusiformi, apice stylo brevi, biarticulato.

Proboscis exserta, horizontalis, longitudine capitis.

Tibiae rectae.

Alae incumbentes parallelae.

1. Dasypogon venosus *mihi.*

Badius, tarsorum apicibus nigris, alis fuscis venis flavo-limbatis. Longit. lin. 17. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae. Hypostoma obsolete orichalceum; barba mystax et hirsuties occipitis flavicantia; frons fusca setis nigris. Thorax badius vittis tribus latis nigris, et linea utrinque suborichalcea. Ab alarum basi ad humeros linea nigra; pleurae badiae pectus fusco nigrum. Abdomen obscure badium. Alarum costa s. vena prima fusca, secunda rufa, reliquae flavae et flavo-limbatae. Decursus venarum sicuti D. apicalis. Pedum geniculi nigri, tarsorum articulus primus badius reliqui nigri. Mus. Westerm.

2. Dasypogon melanogaster *mihi.*

Thorace ochraceo-fusco, abdomine atro, albo fasciato, pedibus badiis. Longit. lin. 15. ♂. Brasilia.

Antennae nigrae; hypostoma cinerascens; barba alba; mystax niger; occiput subgriseum, setis nigris. Thorax vittis tribus latis fuscis, lineis tantum coloris fundamentalis ferruginosi seiunctis. Pleurae glaucescentes. Abdominis fasciae a pilis

niveis formatae quibus apex segmentorum 1—4. obsitus est; an in ceteris segmentis sint detritae? vix credo. Venter nigricans pilis sparsis albis. Alae saturate flavicantes, apice saturatius; halteres videntur silacei. Pedes saturatissime badii, anteriores subtus dilutius. Mus. reg. Havn.

3. Dasypogon gigas *mihi*.

Thorace fuscano; abdomine nigro segmentis mediis, incisuris, lateribusque subtestaceis, alis fusco-lituratis. Longit. lin. 13½. ♂. Promont. bon. sp. Tab. II. fig. 7.

Antennae rubidae, articulus tertius fusco-niger. Barba alba, palpi rufo-setosi; hypostoma subauratum; mystax pallide flavicans; frons et occiput flavicante-hirta. Thorax flavido-fuscanus, absque vittis, pleurae flavicantes fasciculo pilorum niveorum iuxta coxas medias, et macula albido-sericante pone coxas posticas. Abdomen certo situ flavicante micans lateribus subtessellatis; incisurae segmentorum 2—4. subtestacea, quod in segmentis 3—5. vel a tergo conspicitur. Alae limpidae ad costam et in medio omnium fere cellularum dilute fuscanae; halteres ferruginosi. Pedes rubidi, femora supra nigra. Thorax setis, pedes spinis flavicantibus. Mus. Westermanni.

4. Dasypogon apicalis *mihi*.

Thorace cano, obscurius vittato; abdomine basi nigro albo-fasciato apice rubiginoso. Longit. lin. 11½. ♂. Bengalia. Tab. II. fig. 8.

Antennae nigrae; articuli 2. basilares cylindrici, aequales; 3. spinula apicali carere videtur; hypostoma sericans dilute griseum; barba albida; mystax flavido-albus. Thoracis vitta media linea cana longitudinaliter divisa, vittae laterales obsoletiores; pleurae flavido-canescentes. Abdominis segmentum 1. nigrum fascia apicali albida; 2—4. rubiginosa in

testaceum migrantia, fasciis apicalibus marginibusque lateralibus albis, incisuris vero nigris, 5—8. tota rubiginosa glabra. Alae flavicantes, halteres ferruginosi. Pedes rufi; femora antica apice, tibiae et tarsi tota nigra; tibiae posticae et tarsi apice nigra.

Variat: thorace flavido-fuscano, abdominis segmentibus 1—4. nigris albo fasciatis, femoribus omnibus nigris, posterioribus basi et subtus rufis. Mus. Westermanni.

5. Dasypogon coffeatus *mihi.*

Thorace coffeato, abdomine nigro, alis flavis. Longit. lin. 11. ♂. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 49. No. 12.

Antennarum basis flavo-fuscana, apex niger. Mystax albus; hypostoma glandicolor; frons nigrofusca. Thorax lineis obsoletis ochraceis. Abdominis segmentum 1. nigrum, 2 et 3. basi atra, dimidio postico maiore cyanescente-nigricante (seu saturatissime schisticolore) nitente, margines postici horum segmentorum in tergo et ventre angustissime albi, pilis albis. Segmentum 4. basi atrum, dimidio postico minore schisticolor, nitens, absque albedine marginis postici. Reliqua segmenta nigra. Alae dilute oleariae versus apicem parum grisescentes. Halteres flavo-fuscani. Pedes nigri, anteriorum geniculi rufi; anticorum superficies inferior femorum tibiarumque rufa; tibiae et tarsi interne rufopilosi. Mus. de Winthem.

6. Dasypogon reticulatus *mihi.*

Fuscus, thorace ferrugineo-lineato, abdomine fasciis glabris cinerascentibus. Longit. lin. 10. ♂. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 160. 19. Laphria reticulata: nigra; thorace obsolete ferrugineo reticulato, pedibus rufis apice nigris.

Statura omnino labiatae at paullo minor. Antennae ferrugineae: articulo ultimo compresso, crassiori. Caput flavum labio apice ciliato verticeque impresso cum acumine. Thorax obsolete reticulatus. Abdomen nigrum, segmentorum marginibus obsolete ferrugineis. Alae flavescentes. Pedes rufi: tarsis apice nigris.

Barba et vibrissae griseo-flavicantia. Thorax fuscus lineis duabus longitudinalibus, marginibusque ferrugineis; ab utroque margine laterali linea crassa anterior et linea tenuis posterior transversim tendunt ad lineas longitudinales (opus reticulatum Fabr.!) Abdomen nigro-fuscum segmento secundo dilutiore et glabro, segmentis 3. 4. fascia postica cinerascente eaque glabra. Pedes rufi; tibiae anticae subtus dente terminali munitae. Vena post furcam apicalem tertia caret. Mus. reg.

7. Dasypogon pyrrhomus *mihi.*

Gambogius, thorace fuscano-vittato, abdomine fusco-limbato, antennis pedibusque gambogiis. Longit. lin. 8 — 10. Rossia mer.

Wiedem. zool. Mag. II. 33.

Color rufus saturatissimus sicuti superficiei gummi-guttae. Antennae extremo apice nigrae. Barba et mystax griseo-flavicantia, hypostoma orichalceum. Thorax variabilis, superne visus quadrivittatus a latere trivittatus, interstitia vittarum flavicantia, pleurae dilutiores; humeri gambogii. Abdomen gambogium marginibus lateralibus late fuscis, incisuris inprimis ad latera albido flavicantibus, segmenta duo penultima saepius incisuris nigris. Alae flavido-grisescentes versus costam purius rufo-flavae. Femora externe et interne nigro vittata. Totum corpus pube flavicante munitum, pedes spinis flavicantibus. Mus. n.

8. Dasypogon fuliginosus *mihi.*

Thorace fuliginoso, abdomine nigro: basi, tibiis

alarumque costa fuscanis. Longit. lin. 8—10. ♂. Amer. mer.

Antennae, barba, mystax, vibrissae nigra. Hypostoma fuliginosum orbitis subferrugineis. Frons fuliginoso-nigra. Thorax fuliginosus certo situ obsoletissime-nigro vittatus, pleurae dilutius fuliginosae. Abdominis segmentum 2. ochraceo-fuscanum apice nigrum. Alae dimidio costali fuscano-flavicantes, halteres fuscani. Pedes picei tibiis femorumque extremo apice ochraceo-fuscanis. Mus. n.

9. Dasypogon brunneus F.

Thorace cinereo, nigro-vittato; abdomine ferrugineo lateribus fuscis, marginibus flavis. Longit. lin. $9\frac{1}{2}$. ♂. Caienna. Georgia.

Fabr. Ent. syst. IV. 382. 28. Asil. brunneus: thorace cinereo nigro lineato, abdomine pedibusque brunneis nigro-maculatis.

Statura et magnitudo A. forcipati. Caput albidum rostro atro antennisque brunneis. Thorax pilosus, cinereus lineis tribus nigris, lateralibus abbreviatis. Abdomen cylindricum, obtusum, brunneum segmentis macula baseos obscuriore. Alae albae. Pedes brunnei, apice nigri.

Fabr. Syst. Antl. 165. 9. Dasyp. brunneus.

Antennae ferrugineae. Barba flavicans, mystax et vibrissae alba. Hypostoma orichalceum. Thoracis vitta media linea pertenui fissa, postice abbreviata; vittae laterales antice abbreviatae, bis interruptae; latera flavicantia. Pleurae cinereo-flavicantes. Abdominis segmenta medio saturatissime ferruginea, lateribus magis quam basi fusca; marginibus lateralibus ipsis et incisuris silaceis. Venter incisuris late flavicantibus. Alae limpidae apice margineque interno grisescentes. Ramus externus furcae apicalis cum vena longitudinali secunda ramulo transverso connexus in ala dextra exemplaris Fabr., aberratio singularis. Halteres sordide flavicantes capitulo fuscano. Pedes ferruginei, femori-

bus tibiisque posticis interdum saturatius fuscis. Mus. Fabr. et de Winthem.

Variat vittis thoracis ochraceo-fuscis, abdomine fusco incisuris utrinque latius in medio angustius flavidis. Mus. de Winth.

10. Dasypogon caiennensis *mihi.*

Niger, thorace vitta media orichalcea fusco divisa, lateribus, scutello, metathorace orichalceis, alis fuscis. Longit. lin. 9. Caienna.

Fabr. Ent. syst. IV. 386. 45. Asilus caiennensis: ater thoracis linea dorsali alba nigro bilineata, capite scutelloque albis.

Statura et magnitudo A. teutoni. Caput hirtum, album rostro, antennis verticeque albis. Thorax niger, cinereo nitens linea lata dorsali alba et in hac lineae duae nigrae, sub alis albo maculatus. Scutellum album immaculatum. Abdomen cylindricum, atrum, segmento primo secundoque margine albo. Alae obscurae. Pedes atri. Halteres clava alba.

Fabr. Syst. Antl. 162. 25. Laphria caiennensis.

Inspectio antennarum et alarum docet hanc speciem ad genus Dasypogon pertinere, quod et ex habitu patet. Barba nigra, mystax albus; hypostoma et infima pars frontis orichalcea; pars superior frontis s. vertex nigra, nitens. Thoracis vitta orichalcea antice dilatata lineisque duabus fuscis antice crassioribus ita divisa ut lineis tribus constare videatur, versus apicem vero lineae fuscae sunt abbreviatae et vitta orichalcea integerrima. Metathorax vittis duabus fusco-nigris. Pleurae fascia lata orichalcea ad coxas intermedias descendente, et macula postica supra coxas posticas. Abdominis basis s. incisura prima orichalceo parum micans, incisurae duae sequentes in tergo et ventre flavo-albidae. Alae fuscae area costali flavicante. Halteres fuscani. Pedes fusco nigri, tibiae anticae subtus spina terminali. Mus. Fabr.

11. Dasypogon serripes *mihi.*

Fulvo-hirtus, alis fusco-bifasciatis, femoribus posticis incrassatis, serratis. Longit. lin. 9. ♂. ♀. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 159. 16. Laphria serripes: fulvo villosa alis fusco bifasciatis, femoribus posticis incrassatis, serratis.

Minor L. gilva. Caput albovillosum, rostro antennisque atris. Thorax et abdomen fulvo villosa, ano atro. Alae albidae: fascia media apiceque fuscis. Pedes nigri, femoribus posticis incrassatis, serratis.

Antennae fuscae. Barba alba; mystax parum flavicans; hypostoma albidum vitta nigra. Ad latera antennarum parvus fasciculus pilorum fulvorum. Thorax niger fulvo-hirtus, humeris albidis; pleurae partim albidae. Abdomen saturatius fulvum, ano glabro fusco-nigro. Alae limpidae fascia media angustiore. Ramus internus furcae apicalis cum vena sequente ante marginem alae internum coniunctus. Halteres flavo-fuscani. Non femora postica solum verum etiam intermedia subtus dentibus validis munita; vel in anticis vestigium dentium adest. Mus. Fabr. et reg.

12. Dasypogon lineatus F.

Ferrugineus, thorace nigro-trivittato; alis fuscis medio flavicantibus. Longit. lin. 8½. Americae Insulae.

Fabr. Spec. ins. II. 465. 28. Asilus lineatus: testaceus thorace abdomineque nigro lineatis, alis fuscis: macula media testacea.

Corpus magnitudine et statura A. oelandici. Caput testaceum oculis rostrique apice nigris. Thorax testaceus lineis tribus dorsalibus, nigris: lateralibus brevioribus. Abdomen cylindricum, incurvum, testaceum maculis dorsalibus nigris. Alae fuscae macula magna, media testacea. Pedes testacei.

Fabr. Ent. syst. IV. 386. 47. Asilus lineatus.

Fabr. Syst. Antl. 167. 13. Dasypogon lineatus.

Antennae ferrugineae. Barba flavicans; mystax ferrugineus. Hypostoma fusco-griseum. Thorax dilute ferrugineus vittis solitis, sed distinctius terminatis, haud interruptis. Pleurae ferrugineae sensim pallidiores. Pectus partim schisticolor. Abdomen obscure ferrugineum segmentis medio saturatioribus, absque ullis lineis. Alae fuscae macula media flavicante, a qua vitta ad alae basin et altera vitta margine alae externo propior usque ad basin furcae apicalis tendit. Halteres ochracei. Pedes laete ferruginei, posticorum femora et tibiae ante apicem fusco-nigra. Mus. Fabr.

13. Dasypogon testaceus *mihi.*

Ferrugineus abdomine versus apicem sensim fuscescente, alis fuscis. Longit. lin. 8. ♂. America merid.

Fabr. Syst. Antl. 167. 15. Das. testaceus: pilosus testaceus, alis obscuris.

Minor. D. teutono. Antennae testaceae, articulo ultimo nigro. Thorax gibbus, testaceus. Abdomen paullo obscurius. Alae obscurae. Pedes testacei, postici paullo obscuriores.

Antennae ferrugineae; barba mystax ferruginea. Hypostoma subauratum. Frons ferruginea. Thorax vittis quinque obsoletissimis saturatioribus. Pleurae dilute ferrugineo-sericeae. Alae fuscae area costali multo saturatiore. Pedes anteriores laete ferruginei, tarsorum apicibus fuscis. In pedibus posticis, femora supra nigro-fusca apicibus exceptis, tibiae fuscae basi excepta, tarsi toti fusci.

14. Dasypogon ornatus *mihi.*

Ater, thorace albido-trivittato; abdomine testaceo, basi atro, alis flavicantibus apice fuscanis. Longit. lin. 8. ♂. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 49. Laphria orn.

Basis antennarum nigra, articulus apicalis deest. Hypostoma subauratum. Mystax albidus. Thorax ater, vitta media linearis, puncto ante scutellum atro; vittae laterales supra alarum basin incedentes paulo latiores et magis flavicantes. Pleurae cano-albidae. Abdominis primum segmentum dimidio basilari atrum, dimidio posteriore canescens; segmentum 2. atrum lateribus postice paulo testaceum, medio macula quadrata testacea basin attingente. Reliqua segmenta tota testacea. Halteres nigri. Pedes nigro-fusci, facies inferior femorum anticorum badia. Mus. de Winthem et n.

15. Dasypogon aberrans *mihi.*

Mystax alba, alae multo dilutiores, venis limpide limbatis et sicuti in D. reticulato dispositis. Pedes postici vix aut penitus non saturatiores. Mus. reg. sub nomine D. testacei.

15. Dasypogon rufiventris *mihi.*

Thorace nigricante, vittis atris; abdomine pedibusque gambogiis. Longit. lin. $7\frac{2}{3}$. ♀. Amer. mer.

Antennae nigrae, hypostoma ochrascens, mystax albidus, frons nigra glabra macula parva fuscana pone antennas. Thorax vittis tribus atris media linea canescente longitudinaliter divisa, interstitia vittarum glaucescente-cana. Pleurae obsolete rubidae. Abdomen gambogium, segmentorum apicibus rubidis alae flavido-limpidae; halteres fuscani. Pedes postici gambogii, tibiae magis flavicantes, tarsi albicantes. Pedum anticorum tibiae piceae, tarsi plus minus albicantes. Mus. n.

17. Dasypogon Winthemii *mihi.*

Thorace orichalceo, nigro-vittato; abdomine pedibusque ferrugineis, tarsis apice nigris. Longit lin. 7 — 8. ♀. *Amer. mer.*

Antennae pallide ferrugineae. Hypostoma et frons orichalcea. Mystax albidus. Thoracis vittae tres laterales interruptae; pleurae ferrugineae orichalceo micantes; abdomen saturatissime ferrugineum, extremo apice glabro nigro. Alae limpidae parum flavicantes apice obsoletissime infumatae, cellula cubitalis flavido fuscana. Halteres ferrugineo flavidi. Tarsorum articulus 1. extremo apice, ceteri omnino nigri. Femora postica apice nigra. Mus. n.

18. Dasypogon limbatus *mihi.*

Niger, thoracis limbo, abdominis fascia apiceque et pedibus gambogiis. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$. ♂. Barbaria.

Fabr. Ent. syst. IV. 382. 26. Asilus limbatus: nigricans antennis thoracis limbo abdominis incisuris pedibusque fulvis,

Statura omnino A. marginati. Rostrum atrum. Caput hirtum, aureum. Antennae fulvae. Thorax nigricans limbo scutelloque fulvis. Abdomen nigrum segmentorum marginibus fulvis. Pedes fulvi. Alae subhyalinae

Coquebert Ill. icon. 113. tab. 25. f. 10. (icon mala.)
Fabr. Syst. Antl. 165. 7. Dasypogon limbatus.

Praecedentibus robustior. Antennae gambogiae. Barba et mystax rufіcantia. Hypostoma auratum. Thorax nigricans limbo medio baseos excepto, gambogio; pleurae nigricantes. Scutellum gambogium. Abdominis basis nigra, secundum segmentum margine postico late gambogium, quod versus marginem lateralem utrinque angustius evadit et lineola transversa albida terminatur. Segmentum 3. plusquam dimidio postico gambogium quod ad marginem lateralem angustius evadit et angulo acuto terminatur. Reliqua segmenta gambogia, singula utrinque macula triangulari nigra. Venter totus niger. Alae flavicantes venis fere omnibus, et praesertim longitudinalis penultima, fuscano limbatis. Halteres crocei. Femora postica ante apicem superne semiannulo nigro. Mus. Fabr.

19. Dasypogon humeralis *mihi.*

Fuscus, antennis et humeris rubigineis; abdomine nigro. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$. ♂. Prom. bon. sp.

Hypostoma et frons fuscana, argenteo-micantia. Thorax fuscus humeris lateribusque rubigineis; ante scutellum macula rubiginosa; pleurae rubiginosae albo-micantes macula media nigra; scutellum subtus rubiginosum; metathorax niger albo-micans. Abdomen nigrum nitens; venter rubiginosus. Alae parum infumatae; halteres flavicantes. Pedes fusco-nigri; femorum apex et geniculi subferruginei, femora subtus obscure flavicantia; tibiae fuscae. Mus. Westermanni.

20. Dasypogon ruficauda *mihi.*

Hirtus, cinerascens, thorace bilineato, abdomine apice rufo. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$. Tanger.

Fabr. Syst. Antl. 161. 22. Laphria ruficauda: hirta cinerea, abdomine apice rufo.

Statura et magnitudo praecedentis. Caput hirtum cinereum, haustello antennisque atris. Thorax cinereo villosus. Abdomen planum, incurvum, nigrum, segmentis 4. ultimis rufis. Alae ferrugineae. Femora nigra. Tibiae rufae, tarsis cinerascentibus.

Etsi antennarum articulus tertius desit, attamen ex primo et secundo subaequalibus et ex venarum alae distributione patet hanc speciem generi Dasypogon adnumerandam esse. In thorace distinctissime apparent lineae duae longitudinales nigrae, calvae. Abdominis segmenta quatuor ultima flava potius quam rufa, illorum primum seu totius abdominis quartum non omnino, verum margine postico tantum rufo-flavum, quintum puncto nigro medio pone marginem anticum. Venter cinerascente-villosus, tergum probabiliter detritum. Alae ad costam laetius ferrugineae. Mus. reg.

21. Dasypogon atratus F.

Niger, griseo hirtus, mystace griseo, alis dilutissime fuscanis. Longit. lin. $6\frac{1}{2}$. Barbaria.

Fabr. Ent. syst. IV. 380. 19. Asilus atratus: hirtus ater, capite thoraceque cinerascentibus.

Statura et magnitudo omnino A. Diadema. Caput hirtum, cinereum rostro atro. Thorax obscurior pilosus puncto antico utrinque calloso ferrugineo. Abdomen atrum immaculatum. Alae cinereae, costa ferruginea. Pedes atri.

Fabr. Syst. Antl. 165. 4. Dasypogon atratus.

Barba, mystax, hypostoma grisea. Thorax lateribus albido parum micans; humeri ochracei suborichalceo-micantes. Pleurae piceae ante alarum basin orichalceo-micantes. Abdomen nigrum nitens, pilis griseis raris. Alae venis ferrugineis. Halteres dilute ferruginosi capitulo dilutiore. Pedes picei pilis et spinis nigris. Coxae ut reliquum corpus griseo-hirtae. Mus. Fabr.

22. Dasypogon variegatus *mihi.*

Niger, abdomine incisuris flavis, singulo segmento utrinque macula pruinosa alba, pedibus rufis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$ — $6\frac{1}{2}$. Sibiria.

Wiedem. zool. Mag. II. 32.

Antennae nigrae; barba et mystax albida; hypostoma niveo-micans; frons nigricans sed albido hirta; occiput griseo-hirtum. Thorax niger griseo pubescens, linea media obsoleta albida, humeris, lateribus et scutello rufis, albido-micantibus. Pleurae cinerascentes. Abdomen nigrum albido pubescens, fasciis citrinis et in ventrem continuatis, marginem singuli segmenti posticum occupantibus, in ultimis segmentis antice rufis. Maculae pruinosae albae in exemplaribus intactis subconfluentes. Alae limpido-flavicantes, venis rufis. Halteres flavi. Tarsorum articulus apicalis solus niger. Mus. n.

23. Dasypogon hispidus *mihi.*

Fuscanus abdomine cano; mystace nigro-fusco. Longit. lin. 6. ♂. Prom. bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 37. No. 55.

Antennae? Barba et mystax fusca. Hypostoma suborichalceum medio callo oblongo glabrato nigro. Frons grisea. Occiput fusco-hirtum. Stethidium fuscanum, dorso pictura solita in fundo flavicante, vitta media utrinque serie setarum hispida (non cristata). Abdomen canum fere unicolor, marginibus lateralibus paulum nigris, incisuris utrinque albicantibus. Alae dilutissime fuscanae. Halteres flavo-fuscani. Femora nigra apicibus tibiisque et tarsis ferrugineis. Mus. n.

24. Dasypogon fuscipennis *mihi.*

Badio-rubidus, thorace nigro-vittato, ano nigro; alis infumatis. Longit. lin. 6. ♂. Prom. bon. sp.

Antennae rubidae; hypostoma fuscanum auromicans. Thorax rubido-, certo situ flavido-micans, vittis tribus haud interruptis, media postice abbreviata, lateralibus postice paulum convergentibus; pleurae fasciis duabus in coxas anteriores continuatis suborichalceis. Abdomen rubidum glabrum, extremo apice scoriaceo-nigrum. Alae saturate infumatae, halteres sordide flavicantes Pedes omnino rubidi, femora subtus flavicantia. Mus. Westerm.

25. Dasypogon hirtuosus *mihi.*

Niger, flavicante-hirtus; abdominis incisuris anoque rubidis. Longit. lin. 5. Brasilia.

Statura robusta. Antennae nigrae, hypostoma nigricans certo situ parum et dilute orichalceo-micans; mystax et barba alba; vibrissae nigrae. Thorax et abdomen pilis brevibus haud valde densis ori-

chalceo-flavicantibus obsita; pleurae ex flavido canescentes fascia nigra inter coxam anticam et mediam descendente. Abdominis incisurae utrinque latius medio angustissime rubidae. Alae parum turbidae; halteres flavicantes. Pedes nigri, pallidissime flavicante-hirti, anteriores subtus albo-hirti.

Variat alis fuscano-turbidis, abdominis incisuris vix rubidis. Mus. reg Berolin.

26. Dasypogon aurulentus F.

Auratus, thoracis vittis abdominisque segmentis basi nigris. Longit. lin. 4. New-York Americes.

Fabr. Syst. Antl. 166. 11. Das. aurulentus: auratus antennis thoracis lineis dorsalibus, abdominisque segmentis basi atris.

Statura omnino D. teutoni et minutus. Caput aureum, antennis elongatis nigris. Thorax gibbus, lineis tribus nigris: lateralibus abbreviatis. Abdomen breve, aureum segmentis basi fuscis. Alae hyalinae. Pedes flavi, geniculis nigris.

Antennae a conformatione solita aberrantes, non tri-verum quadri-articulatae, articulis duobus primis subaequalibus: 1. cylindrico, 2. paulum compresso et apice incrassato, 3. longitudine duorum praecedentium, 4. compresso-fusiformi, iterum pluribus (duabus saltem) partibus composito. Thorax vittis tribus latis fusco-nigris, exterioribus interruptis. Abdominis segmenta singula basi fusco-nigra medio puncto triangulari nigro cum basi cohaerente. Alae limpidae. Venae ad amussim ceteris Dasypogonibus similes. Mus. reg.

27. Dasypogon guttula *mihi.*

Niger, nitens, macula alba pone humeros, alis limpidis. Longit. lin. 3. ♀. Savannah.

Antennae nigrae; hypostoma nigro-fuscum certo situ albicans; barba et mystax alba; frons nigra. Thorax niger nitens, pilis brevibus rarioribus albis;

macula paulo oblonga albida utrinque pone humerum. Pleurae nigrae, pilis longioribus albis. Abdomen nigrum nitens, pilis brevissimis tergi et longioribus marginalibus albidis. Alae limpidae, venis fuscis; halteres fusci capitulo flavido-albo. Pedes nigri, pilis longis albis setulisque nigris; tibiarum facies interna fulvescens. Tibiae posticae apice sensim dilatatae. Mus. Westermanni.

28. Dasypogon curtus *mihi.*

Niger, albido hirtus; tibiis posticis rufis. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$. ♂. Prom bon. sp.

Wiedem. zool. Mag. III. 6. No. 7.

Habitus quadratus. Antennae nigrae. Hypostoma sicuti omnes corporis partes albo-pilosum. Venae alarum fuscae, eo diversae quod ramus internus furcae apicalis cum vena proxima coniungitur. Halteres flavicantes. Mus. Westerm. et n.

29. Dasypogon aurarius *mihi.*

Thorace chalybeo, fulvo-hirto; abdomine nigricante, pilis densis appressis aurariis. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$. Brasilia.

Antennae nigrae; hypostoma auratum; vibrissae griseae; barba alba. Thoracis color fundamentalis chalybeus, at pilis brevissimis fulvis ita obsitus ut certo situ thorax colorem aurarium induat. Pleurae canescentes. Abdominis color fundamentalis nigricans at pilis brevissimis aurariis densissime obsitus; incisurae utrinque parum albidae. Alae limpidae parum turbidae; halteres flavidi. Pedes nigri supra flavido-, subtus albo-pilosi. Mus. reg. Berolin.

30. Dasypogon coriaceus *mihi.*

Coriaceus, thorace vittis latissimis fuscis; abdomine fusco f scia coriacea; alis basi fuscis. Longit. lin. 3¼. Brasilia.

Statura robusta. Antennae fusco nigrae; hypostoma gl ndicolor, b rba albida. Thorax coriaceus vitta media postice abbreviata, antice cum lateralibus confluens, laterales bis interruptae ita ut e maculis subrotundis compositae sint. Abdomen fuscum: segmentum secundum, margo posticus primi maculaque in singulo segmento utrinque coriacea. Alae abdomen longitudine dimidio superantes, basi ultra trientem saturate fuscanae, margine interno excepto, ceterum fuscano parum turbidae; halteres flavidi capitulo albido. Pedes badii, nitentes. Mus. reg. Berolin.

31. Dasypogon oculatus *Hgg.*

Fuscus, thoracis limbo vittisque duabus flavis; alis fuscis, halteribus maximis albidis. Longit. vix lin. 3. Brasilia.

> Fabr. Syst. Antl. 151. 12. Dioctria oculata: nigra thoracis limbo lineolisque abbreviatis flavis, alis nigris. Habitat in America mer.
>
> Parva. Caput nigrum, oculis magnis globosis, prominentibus Antennae atrae: articulo ultimo cylindrico. Thorax niger limbo omni lineolisque duabus antice abbreviatis flavis. Scutellum flavum. Abdomen nigrum, immaculatum. Alae nervosae, nigrae halteribus albis. Pedes nigri.

Antennae nigrae, minime cylindricae sed articulo ultimo compresso apice acuminatae sicuti ceteris Dasypogonibus, tuberculo non insidentes. Mystax fuscus. Omnia a Fabr. nigra dicta, fusca. Hypostoma fuscum certo situ flavicans, vittis duabus fuscis. Pleurae albido-micantes. Mus. Fabr. et n.

32. Dasypogon rutilus *Hffg.*

Niger thoracis lateribus, abdominisque maculis lateralibus fulvis, pedibus subferrugineis. Longit. lin. 13. ♀. Brasilia.

Antennae silaceae articulo tertio nigro; hypostoma et vibrissae silacea; barba fulva. Thorax niger humeris detritis rubidis; latera thoracis fulva; pleurae nigrae fascia fulva; scutellum pallide flavum. Abdominis segmentum 2. basi utrinque macula transversa albida, segmenta 2 — 5. utrinque macula pilosa transversa fulvo-sericante, 6 — 9. apice rufo-pilosa. Alae abdomen longitudine aequantes limpidae apice parum dilutissime fuscanae; halteres flavidi. Pedes postici toti subferruginei in rufum migrantes; pedes anteriores minus rufi femoribus et tibiis vitta nigra; unguiculi omnes longissimi nigri. Mus. Hoffmannseggii.

† 33. Dasypogon plumbeus F.

Fabr. Ent. syst. IV. 382. 27. Asilus plumbeus: corpore cinereo immaculato. Nova Hollandia.

Minor A. forcipato, cinereus, immaculatus. Rostrum breve, atrum. Halteres apice flavi.

Fabr. Syst. Antl. 165. 8. Dasypogon plumbeus.

† 34. Dasypogon striatus F.

Fabr. Ent. syst. IV. 387. 49. Asilus striatus: hirtus thorace fusco albo lineato, abdomine rufo lateribus albis. Barbaria.

Parvus. Antennae rufae. Caput cinereum, barba densa, alba. Thorax hirtus, fuscus lineis albis: intermediis interruptis. Abdomen rufum, lineis duabus dorsalibus e maculis parvis, fuscis: laterali alba. Pedes rufi.

Coquebert Ill. icon. ins. 114. tab. 25. f. 13. ♂. tab. 26. f. 10. ♀.

Fabr. Syst. Antl. 167. 16. Dasypogon striatus.

35. Dasypogon anomalus *mihi.*

Nigricans, abdomine nigro-aeneo, alis fuscis apice limpido, antennis seta apicali elongata. Longit. lin. $4\frac{1}{3}$. Prom. bon. sp.

Antennae nigrae breves, articulo tertio bulboso, seta apicali elongata apice vix parum incrassata, albida; vibrissae nigrae; frons nigra. Thorax nigricans certo situ parum glaucescens, absque vittis; pleurae flavido-glaucescentes; anguli postici rufescentes. Abdominis segmentum 1. et 2. flavido-glaucescentia; reliqua submetallico-nigra, marginibus lateralibus parum glaucescentibus; venter nigricans parum flavido-glaucescens. Alae fuscae apice limpidae, area costali apice ferruginosa; halteres dilute rubidi. Pedes dilute badii facie anteriore nigri. Pedes postici parum elongatae, tibiis parum arcuatis. Habitus corporis et decursus venarum in alis omnino Dasypogonis. Mus. Westerm.

LAPHRIA.

Antennae porrectae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico; 2. cyathiformi; 3. clavato obtuso.

Proboscis exserta, horizontalis.

Tibiae arcuatae.

1. Laphria labiata F.

Nudiuscula nigra, abdomine chalybeo, alis fuscis, labro flavo. Longit. lin. 14. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 160. 20. Laphr. labiata: nudiusculus niger abdomine cyaneo, alis fuscis, labio flavo.

Gigas in hoc genere. Caput atrum, labio flavo verticeque compresso cum acumine. Thorax niger, obscurus immaculatus. Abdomen cyaneum, nitidum, immaculatum. Alae fuscae immaculatae. Pedes nigri, tarsis elongatis, incurvis, subtus ferrugineo-villosis.

Antennae nigrae; hypostoma silaceum, medio prominens et duabus setis nigris tantum munitum, absque vibrissis. Palpi nigri, nigro-setosi Thorax niger absque ullo nitore, linea media obsoleta grisea. Pleurae, pectus, pedes asphaltina. Abdomen totum chalybeum supra ad violaceum vergens. Mus. reg.

2. Laphria rufibarbis F.

Atra capite rufo-hirto, pedibus rufis. Longit. lin. 12. et ultra. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 157. 4. Laphr. rufibarbis: atra barba pedibusque rufis.

Statura et magnitudo L. gibbosa. Caput atrum, barba magna, rufa. Thorax, abdomen, alae atra, immaculata. Pedes rufi.

Antennae saturate ferrugineae. Gibbositas vaginae haustelli rufa. Oculi linea albida cincti, in parte inferiore praesertim conspicua. Barba et mystax rufa. Occiput rufo-hirtum. Ceterum omnia pedibus exceptis atra. Mus. reg.

3. Laphria lateralis F.

Nigra thoracis abdominisque lateribus fulvis. Longit. lin. 11. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. Laphria lateralis: atra thoracis abdominisque lateribus aureis.

Paullo maior L. pedemontana. Antennae nigrae. Frons barbata, aurea haustello atro. Thorax ater lateribus subtusque aureus. Abdomen atrum lateribus auro barbatis. Pedes rufi, femoribus incurvis, atris: fascia lata, rufa.

Vibrissae nigrae, apice tantum rufescentes, mystax rufus apice dilutiore. Barba rufo-flavicans Thorax fusco-niger, lineis 2. obsoletis dilutioribus; thoracis margo posticus quoque fulvus, at scutellum nigrum. Abdominis latera fulva potius quam aurea.

Alae nigro-fuscae. Halteres ferruginei. Coxae nigrae, ceterum pedes rufi, femorum apice inprimis superne nigro. Femora antica superne fere tota, media minus, postica minime nigra. Mus. reg.

4. Laphria saffrana F.

Thorace nigro limbo vittulisque duabus fulvis, abdomine aurantiaco, alis fuscis. Longit. lin. 9-10. ♂. ♀. Carolina. Georgia Amer.

Fabr. Syst. Antl. 160. 18. L. saffrana: thorace nigro limbo punctisque duobus aureis, abdomine ferrugineo: segmentorum marginibus atris.

Statura et magnitudo L. flavae. Caput hirtum, aureum: rostro atro. Thorax limbo aureo: disco atro punctis duobus dorsalibus hirto aureis. Discus praeterea lineam validam atram usque ad apicem exserit. Abdomen fulvum, segmentorum marginibus tenuissime atris Alae obscurae. Pedes ferruginei.

Antennae ochraceae. Mystax inferne niger, superne fulvus. Barba fulva. Occiput fulvo-hirtum. Thorax nigro-pubescens fulvo limbatus, limbo ad basin interrupto (linea valida atra! Fabr.); vittulae duae fulvae retro suturam posticam sitae. Thorax detritus cupreo-purpurascens. Pleurae asphaltinae fasciculis pilorum fulvorum ante et retro alarum basin. Abdomen aurantiacum utrinque macula nigra ad basin segmentorum 3—6. Pedes ochracei fulvo hirti, femoribus superne fuscis.

5. Laphria croceiventris *mihi.*

Nigra vibrissis flavidis abdomine croceo. Longit. lin. 10. Brasilia.

Antennae nigrae; vibrissae dilutissime flavo-sericantes; mystax niger; barba nigra utrinque albicans. Pleurae nigro-hirtae, et coxae pilis longis griseis munitae. Primum abdominis segmentum nigrum, cetera crocea et dilutissime croceo-hirta venter fuscus nigro-hirtus. Alae fuscanae, cellulis

plurimis medio sublimpidis; halteres nigro-fusci. Pedes nigri et nigro-hirti. Mus. reg. Berolin.

5. Laphria hirtipes F.

Atra, thorace fulvo; alis nigris, basi flavicante-limpida. Longit. lin. $9\frac{1}{2}$. ♀. Guinea.

Fabr. Syst. Antl. 158. 8. Laphr. hirtipes: atra thorace fulvo, alis nigris, basi albidis.

Corpus crassum breve. Caput nigrum, barba parva flavescente. Thorax fulvus immaculatus. Abdomen atrum. Alae nigrae, macula magna baseos alba.

Barba nigra, mystax flavicans. Frons linea transversa pilorum flavicantium pone antennas. Tertio abdominis segmento insidet series transversa pilorum fulvorum. Non macula baseos alarum, verum basis ipsa dilute flavicans usque ad alae trientem. Coxae inprimis pedum intermediorum, femora intermedia et tibiae anticae facie externa pilis flavicantibus obsita. Nomen triviale iam indicat pedes solito magis hirtos esse.

6. Laphria georgina *mihi.*

Nigra; thorace flavo-hirto, fascia abbreviata nigra; abdominis basi lateribusque flavo-hirtis, alis fuscanis. Longit. lin. 9. ♀. Savannah.

Antennae nigrae, articulo 3. fuscescente; vibrissae et barba dilute flavidae; frons nigra, glabra, setis nigris. Thorax submetallico-niger, vitta media obsoleta saturatiore, hirsutie fulvida postice densiore, longiore, fascia abbreviata calva media. Scutellum nigrum calvum; pleurae dilute fuliginosae, fasciculis duobus pilorum flavorum. Abdomen nigrum, segmenta 1. 2. omnino flavo-hirta, hirsutie in medio parum interrupta; 3. lateribus et apice, 4-6. utrinque parum flavo-hirta; anus niger, in ipso apice setulae aliquot rufae. Alarum cellulae marginales medio limpidae; halteres ferruginei. Pedes nigri; femorum anticorum apex et tibiarum basis pa-

rum flavido-hirta; plantae omnes rubido-micantes. Mus. de Winthem.

7. Laphria melanogaster *mihi.*

Nigro-coerulescens, capite thorace pedibus anterioribus flavicante-hirtis; alarum venis fuscano-limbatis. Longit. lin. 9 ♂. ♀. Mexico. Savannah.

Antennae nigrae; mystax niger, vibrissae griseae; frons nigro-setosa; barba et occiput flavicante-hirta. Thorax nigro-coeruleus submetallico nitens flavicante-hirtus; pleurae nigrae nigro-hirtae. Abdomen nigro-coerulescens, submetallico-nitens, nigro-hirtum, coerulescentia minor quam thoracis. Alae fusco-venosae, limpidae, sed venae tam late fuscano-limbatae ut nonnisi cellularum discus limpidus remaneat. Halteres ferrugineo-flavidi. Femora et tibiae anteriora flavicante-hirsutissima. Pedes postici nigro hirti, pilis rarioribus flavicantibus in parte anteriore superiore femorum tantum obviis, haec femora parum incrassata. In ♀ hirsuties grisea magis quam flavicans et abdominis segmenta 2. ultima hirsutie densa grisea. Mus. de Winthem et Westermanni ♂. n. ♀.

8. Laphria thoracica F.

Hirsuta atra, thorace sulphureo, alis fuscanis. Longit. lin. 8. ♂. America bor.

Fabr. Syst. Antl. 158. 10. Laphr. thoracica: hirsuta atra, thorace fulvo.

Statura et magnitudo L. flavae. Caput nigrum, barba atra. Thorax hirtus, fulvus, immaculatus. Abdomen planum, hirtum atrum. Pedes hirti atri.

Statura Bombum refert. Antennae nigrae. Barba alba; mystax flavicans, superne niger. Thorax sulphureo (minime fulvo-) hirtus. Pleurae fasciculis duobus sulphureis. Alae fuscanae cellulis marginalibus medio limpidis. Pedes fusci nigro hirti; femora postica superne ochraceo-hirta. Mus. Fabr.

Annot. Beat. Fabr. loco denominationis trivialis *thoracica*, proposuit hanc speciem *fulvithorax* vocare, (Syst. Antl. Errata) ad evitandam confusionem cum alia specie eaque ultima Laphriarum in Syst. Antl.; haec denominatio vero non quadrat cum thorace vere sulphureo, et *thoracica* eo libentius retinemus quam altera species Generi plane diverso adnumeranda erit.

9. Laphria clavipes F.

Thorace aurato apice nigro; pedibus aeneis, femoribus posticis clavatis dentatis. Longit. lin. 6 - 8. Brasilia.

Fabr. Syst. Antl. 162. 27. Laphr. clavipes: thorace villoso aureo, pedibus cyaneis: femoribus posticis clavatis dentatis.

Statura L. nitidulae. Caput nigrum, barba albida. Thorax villoso aureus, antice ater. Abdomen nunc aureum, nunc obscurum, segmento primo aureo. Alae nigrae. Pedes cyanei, auro pilosi: femoribus clavatis; posticis subtus bidentatis.

Antennae nigrae. Barba alba; mystace flavicante interdum aurato setis aliquot nigris; hypostoma auratum aut orichalceum medio fuscum; frons nigra occiput nigro hirtum. Thoracis color fundamentalis aeneus, pilis brevissimis aureis triente apicali pilis atris. Scutellum aureum. Pleurae fusco-nigrae, flavicante-pruinosae. Abdomen aeneum nunc aureo nunc ferrugineo-pilosum, primo segmento aureo-piloso. Pedes aenei, sicuti corpus nunc viridi nunc cyanei; superne nigro- subtus rufo- vel aureo-pilosi. Mus. Fabr. et n.

10. Laphria bengalensis *mihi.*

Nigra, abdominis incisuris utrinque albidis. Longit. lin. 8. ♂. Bengalia.

Antennae nigrae; hypostoma albidum niveo-micans, vitta nigra. Barba albida, mystax flavido-al-

bus, vibrissae nigrae. Thorax niger, obsoletissime vittatus: lateribus, suturis et intertitiis vittarum certo situ subargenteo-micans; pleurae subargenteo-micantes. Abdomen nigro-aenescens, segmentorum margines antici parum albido-micantes, margines postici utrinque et versus marginem lateralem latius cano-albi et albo hirti; in segmentis 5. et 6. margo posticus totus albus et albo-hirtus. Alae flavicantes; halteres fusci, capitulo albo. Pedes nigri, pilis longis tenuissimis flavido-albis, tarsis nigro setosis. Mus. Westermanni.

11. Laphria aenea F.

Cyaneo-aenea, abdominis incisuris utrinque albis, mystace aureo. Longit. lin 7. Amboina. Iava.

Fabr. Syst. Antl. 161. 23. L. aenea: hirta cyaneo aenea: barba fulva.

Paullo minor praecedentibus (L. haemorrhoa; rufi-cauda.) Caput atrum fronte hirta, fulva. Thorax et abdomen nunc aenea nunc cyanea, interdum segmentorum marginibus albidis. Pedes cyanei. Alae obscurae.

Antennae nigrae. Barba alba; mystax et hypostoma aurata; occiput niveum albo-hirtum. Thoracis limbus, margine postico excepto albo-micans. Pleurae albido pruinosae. Abdominis latera setis nigris. Alae fuscanae basi dilutiores. Halteres fuscani. Pedes nigro-pilosi, anteriores subtus albido-pilosi. Variat hypostomate orichalceo mystace albido; an alter sexus? Albedo in latere incisurarum interdum penitus deest. Mus. Fabr. et n.

12. Laphria flavipes *mihi.*

Nigra, abdomine obscure chalybeo-violascente; pedibus flavis femorum tibiarumque apice atris. Longit. lin. 6. ♀. Prom. bon. sp.

Antennae atrae; hypostoma nigrum lateribus argenteo-micans; barba alba; mystax niger; orbitae externe argenteae, occiput nigro-hirtum. Thorax

niger parum violascens; humeri argentei; pleurae vitta superiore angustiore et inferiore latiore argenteo-micantibus. Abdomen magis quam thorax metallicum. Alae nigro-violascentes; halteres flavi. Pedes vivacissime flavi, ima basis tibiarum et tarsi quoque atra. Mus. Westermanni.

13. Laphria barbipes *mihi.*

Atra, abdomine chalybeo, fulvo-hirto; alis subviolaceis; tibiis posticis fulvo-barbatis. Longit. lin. 6. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. III. 48. No. 11.

Antennae nigrae; hypostoma nitens nigrum; mystax aureus; barba flavicans; thorax ater cum vestigiis vittarum fuscarum; pleurae nigro fuscae. Abdominis segmenta bina anteriora atra, margine postico secundi albido; reliqua segmenta chalybea subviolascentia, pilis aureis; anus margine albo-piloso. Alae violascentes. Femora supra nigra subtus subbadia; tibiae et tarsi supra subbadia, tibiarum superficie postica in flavum vergente et pilis aureis obsita, pilis tibiarum posticarum longioribus densioribus. Mus. de Winthem.

14. Laphria tridentata *mihi.*

Fusca, abdomine atro, pedibus rufis, femoribus posticis tridentatis. Longit. lin. $5\frac{3}{4}$. ♀. Guinea

Fabr. Syst. Antl. 167. 14. Dasypogon tridentatus: fuscus abdomine atro, pedibus rufis, femoribus posticis tridentatis.

Medius. Frons villoso argentea. Caput atrum. Thorax fuscus, obscurus. Abdomen atrum. Alae fuscae. Pedes rufi, femoribus posticis tridentatis.

Frons non argentea, sed flavicante-albida, nitore sericeo. Mystax niger. Thorax pilis brevissimis griseis; pleurae albo-pruinosae. Venter incisuris brunneis. Coxae nigrae. Mus. reg.

16. Laphria crassipes *mihi.*

Atra, abdominis apice ferrugineo, femoribus clavatis. Longit. lin. $5\frac{1}{2}$. Sumatra.

Fabr. Syst. Antl. 152. 16. Dioctria crassipes: atra thorace immaculato, abdomine apice ferrugineo, femoribus clavatis.

Statura D. oelandicae at paullo maior. Antennae nigrae. Caput nigrum fronte villoso aurea. Thorax niger, vix maculatus. Abdomen ferrugineum, basi anoque nigris. Alae fuscae. Pedes atri, femoribus incurvis, incrassatis.

Barba alba, mystax auratus. Thorax marginibus et suturis certo situ grisescens. In abdomine latera extremi segmenti tertii, segmentum 4. disco excepto, 5 — 7. tota ferruginea. Venter totus fere dilute ferrugineus, anus superne et subtus niger. Halteres pallide ferruginei. Pedes griseo-pilosi. Mus. reg.

17. Laphria spinipes F.

Aenea (nunc viridi - nunc violaceo -) femoribus incrassatis bidentatis. Longit. lin. 4. ♀. America mer.

Fabr. Syst. Antl. 162. 28. L. spinipes: violacea abdomine pedibusque obscure ferrugineis, femoribus posticis incrassatis, dentatis.

Statura parva praecedentium (L. clavipes, dentipes). Antennae nigrae, articulo ultimo compresso. Caput nigrum: orbita oculorum alba. Thorax violaceus nitidus. Abdomen obscure rufum, nitidulum. Pedes ferruginei, femoribns incrassatis, bidentatis.

Fabr. l. c. 163. 29 Laphr. affinis: cyanea abdomine aeneo, femoribus incrassatis, bidentatis.

Statura et summa affinitas praecedentis at color omnino differt.

Pleurae et humeri albo-micantes. Rufedo abdominis et color pedum ferrugineus apparens, exsiccatione, et transparentia exinde orta, tantum attribuendus; revera color ubique violaceus vel viridis,

nitore metallico; nec, luce non transiente, ulla apparentia rufedinis. Alae fuscae, halteres flavicantes; pedes pilis albidis muniti. Inter L. spinipedem et affinem F. nullam eruere potuimus differentiam specificam; colore excepto, omnia ad amussim conveniunt. Color solus ad speciem distinguendam non valet, minime ubi tam affinis. Ceterum color varietatis *L. affinis* minus cyaneus quam obscure viridi aeneus, thorace et pedibus certo situ tantum cyanescentibus. Mus. reg.

18. Laphria viduata *mihi.*

Ater; thorace cano-hirto, abdomine fasciis canis. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$. ♂. Brasilia.

Wiedem. zool. Mag. II. 50. No. 14. Dasypogon viduatus.

Antennae nigrae certo situ canescentes. Mystax niger; hypostoma certo situ rubido-fusco paulum micans. Thorax et scutellum cano hirta. Singula abdominis segmenta, primo excepto, dimidio basilari fascia lata cana postice paulum emarginata; hae fasciae certo situ evanescentes; ultimum segmentum totum canum. Alae fusco-cinerascentes. Halteres flavicantes. Pedes nigri pilis albidis. Mus. de Winthem et n.

19. Laphria geniculata *mihi.*

Nigra, incisuris abdominis albis, genubus rufis. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$. Amer. mer.

Antennae nigrae; hypostoma niveo-micans, barba, mystax, vibrissae alba, frons nivea. Thorax subaeneo niger; pleurae fascia argenteo-micante. Abdomen punctulatum, nigrum. Alae vix parum infumatae; halteres parum rubidi Femorum imo basis et tibiae posticae basi interdum usque ad apicem fere rufae. In tibiis anterioribus praeter genua nil rufi. Mus. n. et de Winth.

LEPTOGASTER *Mg.* *Gonipes Latr.*

Antennae porrectae, triarticulatae: articulis duobus inferioribus brevibus, cylindricis, aequalibus; tertio conico, apice piloso.

Proboscis exserta, horizontalis brevis.

Tarsi onychiis nullis.

Leptogaster rubidus *mihi.*

Rubidus, alis flavicante-limpidis apice fuscanis, abdomine incisuris luteis. Longit. lin. 5⅔. ♂. Amer. mer.

Antennae dilute flavae; mystax albus. Thorax coccinelleo-rubens; pleurae albo-micantes. Abdomen rubido-fuscum incisuris luteis. Pedes antici flavicantes, apice femorum tarsorumque fusco. Femora posteriora fuscana, fascia ante apicem flavicante obsoleta. Halteres flavidi capitulo fusco. Mus. n.

PHTIRIA.

Antennae porrectae, approximatae, triarticulatae: articulis duobus inferioribus brevibus, aequalibus; tertio elongato, fusiformi compresso.

Proboscis exserta, horizontalis, elongata; palpi clavati.

Alae expansae.

Phtiria albida *mihi.*

Thorace glaucescente, abdomine albo basi nigricante, antennis scutello pedibusque flavidis. Longit. lin. 2. ♂. Bahia Brasiliae.

Proboscis nigra, longitudine corporis; palpi apice vix incrassati, flavidi. Antennae silaceae; frons ni-

veo micans. Thorax glaucescens, lineis duabus approximatis longitudinalibus postice abbreviatis saturatioribus; albo-pilosus; pleurae caesio-albidae; scutellum dilutissime silaceum, albo-pilosum. Abdomen flavido-album, pilis longis albis; segmentum secundum basi nigricans. Alae limpidae certo situ albicantes; halteres albi. Pedes silacei tarsorum apice nigro-fusco. Ex Museo Hoffmannseggii sub nomine Eccremus albidus accepi.

Addenda.

Ad p. 33. Sciara americana. Exemplar ♂. Mus. reg. Berolin. fascia rufa baseos abdominis caret.

Ad p. 76. 28. Tabanus fervens *Linn.*:

Thorace glauco, fulvo-hirto; abdomine fuscano apice nigricante, vitta postice latiore fulva. Longit. lin. $4\frac{1}{3}$. ♀. Brasilia.

Statura T. ferrugati et curvipedis. Antennae ferrugineae, dente mediocri; hypostoma fulvicans; genae glaucae; palpi fusci; frons obscure glaucescens callo subovali lineaque glabra ab illo adscendente fuscis. Thorax glaucescens, punctura acus et effusione humorum per accidens fuscus (sicuti in exemplare musei nostri), utrinque fulvo-hirtus ut et pleurae. Abdominis segmenta 4. anteriora fuscana vitta fulva postice sensim et multo latiore, cetera segmenta fusco-nigricantia. Venter omnino ferrugineo-flavus Alarum area costalis, area inter ultimam penultimamque venam et dimidium apicale fusca, macula fere incolorata in extremo apice. Pedes ferruginei, femoribus nigro fuscis. Mus. n.

Ad p. 97. 42 Anthrax Gideon. Antennae nigrae articulo tertio basi bulboso. Rima oris helva hypostoma niveo micans; frons nigra. Thorax ater apice lateribusque subcervino hirtus; pleurae niveo

hirtae. Abdomen fuliginoso-nigrum, detritum, at utrinque in margine externo segmenti 1. pili flavidi, in margine segmenti 2. pili nivei relicti sunt; margines laterales segmentorum 3. 4. nigro pilosi, in 5. et 6. utrinque tomentum flavicans et pili nivei, anus nigro-pilosus. Ventris segmenta margine apicali albo-ciliata. Alae basi paulo ultra dimidium nigrae, nigredinis margo bisinuatus; halteres silacei, capitulo albido. Pedes nigri; femora subtus ferrugino-so-flava tomento fulvo. Mus. reg. Berolin.


Species Musei nostri sub No. 42. p. 147. descripta vocanda Anthrax sinuosa *mihi.*

Ad p. 98. Haematopota longicornis. Variat pictura alarum: macula lunata et vitta obliqua fuscis deficientibus.

Ad p. 113. Thereva abdominalis. Exemplari ab amicissimum de Winthem communicat e Georgia americana misso thorax est niger pruina densa nivea obtectus; incisurae minus ochraceae. — Differentia specifica et descriptio Therevae notatae sequenti modo corrigendae: Abdomine niveo sericante, maculis utrinque tribus nigris glaberrimis. — Color fundamentalis abdominis niger, pilis niveis sericeis. Certo situ color niger praevalens, at incisurae 2. et 3. semper niveae; alio situ abdomen niveum colorem induens, maculis lateralibus nigris in segmento 2. et 3. apicem non attingentibus


Ad p. 202. 35. Asilus infernalis. Variat scutello et abdomine omnino nigro hirtis; fronte pilis flavidis; ceteris omnibus ad amussim quadrantibus.


I.
1
2
2
4
Apatomyza.
IV.
1
2


Cersomyza
Explicatio
Figurae
1. Typus generis
2 ala
4 caput superne visum.
5 caput a latere

Tab. II.

I.



...era picta Wiedem.

